

sus, sint perpetua sicut census, id est non vacabilia; secus est in locis montis vacabilibus, quia ista transeunt cum conditionibus officiorum vacabilium, de quibus scripsi infra num. 260. & seqq.

De monte Pietatis vide quæ scripsi infra num. 440. & seqq.

Obiter nota, dum sæpè loquimur de reditu, quod scribentes non conueniunt, an sit scribendus cum unico d. an vero cum duplo; ego non insisto, curiosi possunt videre Tiraq. de retr. lign. §. I. gl. 6. num. 1.

D E I M P R E S T I T I S.

S V M M A R I V M.

Venetiarum imprestantiae, Florentiae mons, & S. Georgij loca, qua ratione sint licita, &c. num. 256. 452. & seqq.

256



X E M P L I F I C A III. in prestitis Venetiarum, Monte Florentiae, & locis comperarum Sancti Georgij Ciuitatis Genuæ; quæ prestita, mons, & loca, qua ratione sint licita, cum maxima de eis orta esset inter Theologos disputatio; latè, vti in loco congruo, explicaui infra num. 452. & seqq. & ideo hic non repeto.

D E S O C I E T A T E.

S V M M A R I V M.

Societas, assecuratis capite, & certa parte lucri, accedente contractu assecurationis tenet, num. 257. Si verè, & non fictè contrabatur, num. 258. Et quæ ad huius societatis iustitiam requirantur, remissiuè num. 259.

257



X E M P L I F I C A IV. in societate cum assecuratione capitalis, & certi lucri, quam societatem posse fieri, & quomodo, & quibus interuenientibus contractibus, satis scripsi infra §. 3. gl. 3. num. 36. declar. 2. ideo hic non repeto: & tamen ista societas est licita & iusta, quāuis in ea inspecto effectu, pecunia annuam reddit pecuniam, salvo semper capitali; & nullo dantis pecuniam labore, aut industria adhibito, pecunia pecuniam parere videatur.

258

Declaro hanc societatem esse validam, & licitam, si verè contrahatur, secus si fictè,

vt puta cum persona inhabili ad societatis negotium, vt securus sum infra q. 7. par. 2, ampl. 17. num. 9. confirm. 2.

259 Sed quæ ad huius societatis iustitiam requirantur, & an Sixti V. constitutio eam tollat, vide infra d. gl. 3. num. 36. & seqq. in quibus sufficienter omnia necessaria declaraui.

D E S O C I E T A T E O F F I C I I.

S V M M A R I V M.

Societas officij Curie Romana quando fuerit inuenta, est frequentissima, & veteres de ea non scripserunt, num. 260.

Societatis officij origo unde processerit, num. 261. Officia Rom. Curie vendibilia, num. 261. Eaq; Papa vendit ad vitam ementis, num. 262. Et quare non ultra, num. 264.

Societas officij initur etiam cum priuato, qui non habet, neque intendit habere officium, num. 263.

Premium officij vacabilis per obitum, & premium census vitalij evidetur aequalia, num. 265. Maius tamen debet esse premium officij vacabilis, num. 266.

Societas officij ad sui validitatem requirit, quod officium sit officium Rom. Curie, sub nu. 267. & 269. Et quæ sit ratio, num. 268. & 269. Et quando societas officij possit contrahi etiam super alijs officijs, quam Romana Curia, num. 271.

Societas officij non poterat contrahi, nisi infra medietatem officij, sed hoc fuit reuocatum, num. 272. Similiter non poterat iniri, nisi signata supplicatione per signaturam Papæ, & hoc etiam fuit sublatum, num. 273.

Officialis, contrabendo societatem, tenetur interrogatus dicere, si alias in eius officio habeat societas, quot, & cuius summa, sed hodie, hac interrogatione omissa, contrahuntur, num. 274. & 275. Et quare, num. 330. & 331.

Officium in societate officij est præcisè necessarium, & debet esse capax, alias societas est nulla, & quomodo, num. 276. & latè, num. 321. & seqq. ubi distinguuntur quatuor casus, usque ad num. 331. inclusuè, & 339. & 340. Hocq; procedit etiam de iure communi, num. 279. Et est nulla, etiam si sit contracta super periculo vita, num. 280. 281. 282. & 306. Quāuis multa deducantur in contrarium, num. 283. & seqq. Non obstante etiam consuetudine, num. 306. sed cum distinctione, num. 307. & seqq. Et non obstante rescripto

rescriptio Pape, num. 311. udbibita eadem distinctione, num. 313. & seqq. Et non obstante dolo officialis, & socij, num. 336.

Officio, super quo sit initia societas, alienato, resolutur societas, & ideo socius etiam ignorans alienationem officij non potest accipere fructus, num. 332. & 333. Etiam si sibi sponte soluerentur, num. 334. Et ubi acceperit, teneatur eos restituere, ideoque multò magis repeleretur, si ageret, num. 335.

Nullitas societatis officij, quamuis officialis, & socij indemnitatē videatur & quē respicere, tamen fauet magis officiali, num. 337.

Societate officij nulliter contracta, seu resoluta, an pecunia remaneant apud officialem, uti mutuo datae, num. 277. & 338.

Pactum lucrandi pecunias in societate officij vacabilis per obitum, est de substantia societatis, sub num. 282. vers. aliam.

Societas officij, contracta sine officio, an possit stare uti census vitalius, seu sponsio, num. 281. 283. & seqq. 301. & seqq. usque ad nu. 306. Et an propter dolum officialis socius possit consequi lucrum cessans, num. 342. Et quando dicatur contracta sine officio, num. 341.

Periculum socij in societate officij est maius periculo officialis, num. 285. Habetq; periculum socij magis naturam sponsionis, quam assencionis, num. 293.

Contractus, qui eo modo, quo est gestus, non potest sustineri, sustinetur eo, quo potest, num. 284. Quia se quod ago, ut ago, non valet, vales ut valere potest, num. 287.

Commercia potius sustinenda, quam infringenda, num. 316. Etiam si in eis veretur occasio deceptionum, num. 317.

Pacta in societate officij diuersa à pactis, quibus officialis emit officium, num. 286. Et possunt in ea apponi quauis pacta licita, & honesta, num. 301.

Fructus in societate officij ad rationem 12. pro centenario unde originem habere videantur, num. 288. & seqq. & 291. & seqq. Ex his 12. quot capiantur ratione fructuum, & quot ratione periculi, sub num 305.

Vsura centesima qua sit, & unde dicatur, num. 288. & sub num. 289. remissiuè.

Pecunia trajectitia qua, & unde dicatur, num. 289. iuncto num. 288.

Fœnus nauticum quid, & unde originem habeat, num. 290. iunctis, num. 288. & 289.

Leges de assurcatione pecunie nauicæ, extenduntur ad assurcationem vite hominis, num. 292.

Census vitalius ratione maioris periculi reddit.

maiores fructus, & ratione periculi est licitus, num. 294. & 297. Imo est magis licitus, quam census perpetuus, num. 295. Et in eiusmodi censu cessat lazo, que contingit ex longitudine vite ementis censem, num. 296.

Census vitality pretium sumitur ex verisimili longitudine, seu breuitate vite ementis, num. 298.

Vsura est indispensabilis, num. 319. & 320. Dispensari non potest, quod est contra præceptum naturale, num. 320.

Consuetudo nihil operatur in usuris, sub nu. 306. Distinguitur num. 307.

Papa non dispensat super usuris, num. 311. Sed cum distinctione, num. 313. & seqq.

Consuetudini præsertim mercatorum inherendum in commercio societatis, sub nu. 317.

Vidua licet non debeatur fructus dotis, ideoq; fructus, quos ex pignore capit, computare debeat in sortem, tamen debentur vigore statuti confirmati à Papa, num. 315.

Deception toleratur in commercijs, & quare, num. 317.

Legem debet Princeps quoad potest reducere ad usum populi, num. 318.

Fructus societatis officij taxantur ex quantitate, quam illud officium communiter reddere solet, sub num. 322.

Dolus cum dolo compensatur, sub num. 324. vers. ratio, & num. 336.

Vtile per inutile an viuetur in societate officij, num. 326. & seqq.

Officialis habet hodie nudum nomen in societate officij, ideoque, &c. num. 330.

Societas officij, quamuis officialis pro parte sua non adimpleat, habet suos effectus, volente socio, qui adimplevit ex parte sua, num. 343.

& seqq. Et quomodo declaretur hac voluntas, num. 376. Et quousque voluntas non declaratur, societas remanet in suspeso, num. 379. Secus, socio nolente, num. 350. & seqq.

Fideiussorem licet officialis dare promiserit, & non dederit, tamen socius potest agere ad fructus societatis, num. 343. Etiam si promissio sit cum clausula resolutiva societatis, num. 344.

Et quamvis promiserit dare duos fideiussores, & dederit unum, num. 345. Et dum socius agit ad fructus, non per hoc renunciat iuri agendi, ut fideiussor preficiatur, num. 346. Et cui iuri censeatur renunciare, num. 347. Et potest agere ad fructus, etiam si in obligatione prestandi fideiussorem nulla sit apposita dies,

& officialis non sit interpellatus, num. 349. E contra, socio nolente fructus, officialis lucrari non potest pecunias, num. 350. & nu. 361.

*Reiecta contraria opinione , nu. 360. & 362.
Et hoc præcipue procedit quando socius nullus
recepit fructus , num. 363. Procedit etiam
quando recepit solum fructus primi semestris ,
num. 364. 366. & 367. Et maximè , si ades-
set clausula resolutiua , num. 368. Procedit
etiam si teneretur dare fideiussorem infra duos
menses , num. 369. Et quamuis socius statim ,
receptis fructibus primi semestris moreretur ,
num. 370. Quos fructus hæredes compensare
tenerentur , num. 375. Quod si receperit fru-
ctus secundi , aut ulterioris semestris , officialis
pro toto illo tempore posset lucrari pecunias ,
num. 365. 376. & 377. Et non ultra illud
tempus , num. 378.*

*Voluntas socij ad declarandam societatem initam
exprimitur expresse , & tacite , num. 376.*

*Renuncians iuri dicendi societatem non esse ini-
tam , non renunciat iuri agendi ad alia sibi
promissa , num. 347.*

*Dominus directus recipiendo canonem , renun-
ciat caducitati incurse , sed non iuri emphy-
teotico , num. 348.*

*Contractus commodum reportare non debet , qui
contractum non adimplet , sub num. 350.*

*Agere non potest ex contractu , qui contractum
non adimplet , num. 351. & seqq.*

*Emptor non agit ex empto , nisi venditori pre-
mium offerat , num. 352.*

*Exceptio non adimplementi repellit agentem ,
non obstante quouis instrumento , & statuto
executuo , num. 353. & seqq.*

*Statutum , tollens omnes exceptiones , non tollit
exceptionem non adimplementi , num. 353.
& seqq.*

*Exceptio (tu non impleuisti) potest opponi etiam
per iudicem ex officio , num. 356.*

*Mens , & causa finalis contrahentium attendi-
tur , num. 358.*

*Locator promittens non expellere conductorem ,
intelligitur si soluat , num. 359.*

*Mora an & quomodo consideretur , & contraha-
bitur , num. 370. & seqq. & num. 386. 387.
& seqq.*

*Mora ad excludendum à lucro , & ab actione
eum , qui non adimplet , non est necessaria ,
num. 372. 373. & 374.*

*Interpellatio non est necessaria , quando obliga-
tus est certus de sua obligatione , & ex non
adimplemento reportaret commodum , num.
349. Secus quando non est certus , quare , &c.
num. 380. & seqq. 385. & seqq. & num.
389. & 390.*

Dies incerta habetur pro conditione , num. 382. Et

*illius aduentus non constituit in mora sine in-
terpellatione , num. 384.*

*Ablatiui absoluti faciunt conditionem , num. 383.
Obligatio , & mora eodem momento non nascun-
tur , num. 386. & 387.*

*Iuramentum quando habeat vim constituendi in
mora , num. 387.*

*Pecunia præsens requiritur in contractu societa-
tis , num. 391.*

*Persona , super cuius vita periculo contrahitur so-
cietas , quomodo debeat nominari , & quid si
non sit nominata , num. 393. & seqq. usque
ad num. 398.*

*Mors , quæ condemnato infligitur à iustitia ,
dicitur mors naturalis , &c. num. 397.*

260



X E M P L I F I C A V. in
societate officij Curiæ Roma-
næ , quod commercium fuit
primum à Leone X. deinde à
Paulo IV. & postea à Pio IV.
approbatum , & hodie est frequentissimum
in Vrbe , vt sciunt qui in ea versantur : in
vnu enī est Romæ , & in multis Ciuitatibus ,
Ecclesiæ subiectis , vt contrahantur societa-
tes ad certum tempus , plerunque ad sex
menses , deinde ad beneplacitum , cum
disdicta quindecim dierū super officijs Ro-
manæ Curiæ , quæ per obitum vacant , in
quibus alicui officiali datur nomine societa-
tis certa pecuniæ summa , super periculo vi-
tae suæ , vel cuiuslibet alterius personæ certæ:
officialis autem promittit pro rata pecuniæ
socium participem facere fructuum sui offi-
cij , societate durante , quos etiam conductit
ad rationem duodecim pro quolibet cente-
nario , & , societate finita , promittit restitu-
re sortem , Hier. Gabr. conf. 78. in vnu. lib. 1.
sed quia hoc commercium antea erat inco-
gnitum , ideo de officiorum societatibus ni-
hil expressè scriptores veteres tradiderunt ,
Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 9. tit. de
societ. & mand. cap. 8. initio . sed postea de
eis quædam breuissimè attigit Sot. de iust. &
iur. lib. 6. q. 6. art. 2. ad finem , quem secutus
est Ioseph. Angles in suis floribus quæstio-
num theologicarum , in q. de contractu so-
cietas , dub. 3. & 4. & paulò exactius Phi-
liarch. in suo man. sacerd. cum agit de vnu-
ris , in cap. quib. mod. fiat vnsura palliata ,
Nauar. conf. 25. & 27. lib. 5. de vnsur. Card.
Tolet. de instruct. sacerd. lib. 5. cap. 50. & in
alia impressione cap. 40. Rot. diuers. in di-
uersis decis. quas citamus in locis opportu-
nis.

nis, & multa scripsit Io. Azor. d. cap. 8. & seqq. & tractatum ediderunt Virg. de Boccat. & Franc. Castrac.

261 Harum societatum origo inde processit, quia cum Papa habeat in Rom. Curia multa officia, quorum aliqua sunt gratiosa, & aliqua vendibilia, vt officium Camerariatus, Thesaurariæ, Auditoris Cameræ, Clericorum Cameræ, Prothonotariorum, Secretariorum, Cubiculariorum, Contradictrorum, Summistaræ, Abbreviatorum, Correctorum, Præsidentis, Collectorum, Iannizarorum, Plumbi, Notariorum, Cursorum, Militum, seu Equitum S. Petri, Pij, Gilij, & alia, vt testantur Castrac. tract. de societ. offic. in procœm. num. 4. & seqq. & Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 9. tit. de societ. &

262 mand. cap. 8. vers. in romana. † hæcquæ officia, quæ vendibilia sunt, Papa vendat ad vitâ ementis; vt scribunt Castrac. d. procœm. num. 2. in fine, num. 3. & 8. in fine, & Ioan. Azor. d. vers. in romana. & ijs, qui volunt ea emere, aliquando deficiat aliqua pars pretij, Papa concedit eis, vt possint esse plures vnius officij emptores, dummodo in uno solo resideat titulus, & emptio officij, quare is, qui in emptione officij confert proprias pecunias, efficitur pro rata socius, & particeps redditum illius officij una cum officiali, qui illud emit, Card. Tolet. de instruct. sacerd. lib. 5. cap. 50. alibi cap. 40. num. 1. & Castrac. d. tract. de societ. offic. cap. 3. num. 1. & seqq.

263 Verum, succrescente commerciorum necessitate, aut potius callida hominum astutia, anhelantium ad lucrum, hæ societates fieri cœperunt etiam cū officiali, qui pecunia non indigeat ad emendū officium, siquidem fieri cœperunt cū officiali, qui officium iam emit, imò cū alio, qui nec emit, nec vult emere, sed pecuniam querit pro suis necessitatibus, seu negotijs, aliquo tamen officiali adhibito, qui in sui officij societate pecuniam illam accipiat, & conseruetur indemnis, cum in ea societate solum nomen habeat, vt dixi infra q. 7. par. 1. num. 88. quod idem fuit factum in cambio, cum enim esset introductum gratia mercaturæ, & peregrinationis, fuit postea ipsummet factū mercatura, & conuersum ad negotiationem luctatoriam, vt scripsi infra q. 6. num. 8.

De prædictis officijs, & officialibus varijs, quorum aliquos citat Castrac. d. tract. de societ. offic. in procœm. num. 5. & seqq. varijs

in locis scripserunt; & nos de aliquibus in nostro tract. de iudic. caus. lib. 1. cap. 21. & seqq. & lib. 3. cap. 2. q. 8. num. 144. 146. & seqq.

Ratio quare Papa hæc officia vendat ad ementis vitam, & non ultra, est, vt in cuiusque Pontificis sede eorum aliqua semper sint vacatura, & ita cuiusque Pontificatus eosdem possit habere redditus.

Horum officiorum pretium ex communi æstimatione hodierna à multis iam annis est illud, quo quis vitalitum emeret annum reditum, certum, & securum scutorum octo circiter pretio scutorum centum; itaque scutis 1000. emeretur officium, quod reddere soleret scutos 80. annuatim, comprehensis omnibus expensis: cum enim sit vitalitum, non tanti emitur, quanti emeretur, si esset perpetuum, transitorium ad hæredes: & cum reddat lucrum, seu fructus, ad rationem octo pro centenario, maiori emetur pretio, quām si redderet ad rationem quinque pro centenario.

Et licet pecunia, periculo vitæ exposita, soleat reddere non solum octo pro centenario, sed maius lucrum, nempe decem, vel duodecim pro centenario; sicque scutis 1000. posset emi officium, quod reddat, non scutis 80. sed scutis 100. vel 120. annuatim; tamen est aduertendum, quod pecunia, qua emuntur hæc officia, non est ita præcisè exposita periculo vitæ ementis, vt is periculum aliquando per viam resignationis ante mortis euentum non possit euadere, recuperando pretium à resignatario, quare potest officialis cum consensu Papæ per viam resignationis officium illud alienare in singularem successorem cum sua natura vacantiæ per obitum ipsius singularis successoris; & hac ratione annuus reditus, seu census omnino vitalitius, minori æstimari debet pretio, quām reditus annuus officij vacabilis per obitum, quia pretium solutum pro censu vitalitio non potest eximi à periculo amissionis, at pretium, solutum pro officio vacabili per obitum, potest eximi, vt dixi, per viam resignationis.

Ad huius societatis validitatem multa sunt necessaria ex dispositione constitutio- num, editorum à Pontificibus, de quibus mentionem feci supra num. 260.

Primo requiritur, quod eiusmodi societas contrahatur super officium, quod sit Rom. Curiæ; quia etsi hæc qualitas, nempè, quod

quod sit Rom. Curiæ, non pertineat ad intrinsecam rationem contractus societatis, ideoq; nulla repugnante ratione, posset iniri etiam super officijs Regijs, Ducalibus, & similibus, tamen, quia Paulus IV. id prohibet, esset usura, si super alijs officijs, quām super officijs Romanæ Curiæ contrahetur, Card. Tolet. de instr. sacerd. lib. 5. cap. 50. alibi cap. 40. sub num. 1. vers. prima est. & ideo accurate loquitur Hier. Gabr. cons. 78. in vsu. initio, lib. 1. dicens, in vsu esse Romæ, & in multis Ciuitatibus, Ecclesiæ subiectis, ut contrahantur societas super officijs Rom. Curiæ, quæ per obitum vacant.

271

272

Ratio huius requisiti, seu qualitatis officij potuit esse (licet nec ista vndique satisfaciatur) quia dum Pauli IV. constitutio dispensat, vt iste societatis contractus super officijs Romanæ Curiæ possit fieri, taxata, & soluta ab initio certa quantitate pro fructibus; hæc constitutio videtur quodammodo vulnerare ius commune, cui eiusmodi determinatæ taxationes, & anticipatæ solutiones solent esse suspectæ, vt latè explicauit infra q. 7. par. 2. ampl. 8. num. 27. & seqq. & nu. 87. At constitutio specialis, vulneratoria iuris communis, est intelligenda, vt quod fieri potest, minus vulneret; vnde sicut statutum, quod potest intelligi, vt corrigat ius commune in duobus, vel in uno, intelligitur hac ratione, vt corrigat in uno, vt securus sum in meo tract. de iudic. caus. lib. 2. cap. 8. num. 410. & 411. ita etiam eadem ratione constitutio, quæ potest intelligi, vt corrigat in pluribus locis, vel in uno loco, debet intelligi, vt corrigat in uno loco.

269 Ratio rationis, quare hæc dispensatio restringatur ad officia Rom. Curiæ, est, quia Curia Rom. est forum commune, ad quod ex totius Orbis Christiani partibus gentes confluunt, quæ cum ibi diuersis ex causis aliquo tempore commorentr, hoc societas commercio sibi facilius, quām alio subuenire possunt.

270 Extende hoc requisitum, vt sit necessarium etiam hodie, quia licet procedat ex Pauli IV. constitutione, eaque constitutio cum omnibus, in ea appositis clausulis, sit cassata, & annullata per constitutionem Pij IV. tamen illa annullatio non tollit hoc requisitum, tūm quia omnis constitutio Pontificia de societatis officijs loquitur de officijs Curiæ Romanæ, prout de eis loquitur etiam constitutio Pij IV. quia cum sint co-

rectoriæ iuris communis, vt dixi supra sub num. 268. non sunt extendendæ ad officia, quæ non sunt Romanæ Curiæ, tūm quia illa annullatio, etsi generalis sit, exprimit quid corrigat, & quid disponat.

Declara idem requisitum, vt non sit necessarium, quando nulla fit lucri, seu frumentum taxatio, sed fit simpliciter societas tām in lucro, quām in damno, iuxta iuris communis dispositionem, quia, seruata iuris communis dispositione, societas ita potest contrahi super officijs Romanæ Curiæ, sicut super alijs.

Secundo requiritur, quod societas non contrahatur ultra dimidium valoris officij, sic expressè disponente Pauli IV. constitutione, quod aduertunt etiam Card. Tolet. de instruc. sacerd. lib. 5. cap. 40. nu. 2. vers. altera est. & num. 9. vers. prior est. Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 9. tit. de societ. cap. 9. initio, & Rot. diuers. decis. 336. honori. sub num. 1. coram Illustrissimo Card. Millino, in Rom. societatum. lunæ 29. Ianuarij 1601. inter impressas Lugduni, anno 1612.

Hoc requisitum ex societatis natura non est necessarium; & fuit expressè reuocatum per constitutionem Pij IV. & in societate officiorum, seruata dispositione iuris communis, potuisset omitti etiam sine ista reuocatione: quare societas tenet usque ad valorem officij, super quo contrahitur, dummodo valorem officij non excedat, sic disponente dicta Pij IV. constitutione, reuocatoria dictæ constitutionis Pauli IV. Io. Azor. in loco supra proxime citato, & Rot. d. decis. 336. sub num. 1.

Tertio requiritur, quod fiat accedente supplicatione, signata vel manu Papæ, vel in eius Signatura, vt in constitutione Leonis X. & Pauli IV. Card. Tolet. d. cap. 40. num. 9. vers. prior est. & Rot. d. decis. 336. num. 1.

Hoc etiam requisitum fuit dicta Pij IV. constitutione expressè sublatum, Rot. vbi supra, Castrac. tract. de societ. offic. cap. 5. num. 1. & seqq. & Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 9. tit. de societ. cap. 8. vers. prima conditio.

Quarto requiritur, vt officialis in actu celebrationis instrumenti, seu prius in ipso societatis contractu interrogatus, an in suo officio habeat alias societas, quot, & cuius summæ, teneatur eas exprimere speciali-

ter, quòd si falsò eas in totum, vel in parte negauerit, seu cœlauerit, eò ipso intelligeretur priuatus officio, super quo societas contracta esset, sine ullo tamen detimento creditorum, quatenus illis aliunde satisfieri non possit: sed in primis tenentur ipse officialis, & fideiufores satisfacere, vt in dicta Pij IV. constitutione, & scribunt Castrac. tract.de societ.offic. cap.6.num.3.& 4. Virg.in de Boccat.eod.tract.num.103.vers.& in dicta. & Io. Azor.de instit.moral.par.3.lib.9.tit.de societ.cap.9.in fine initij.

Sed hoc requisitum, quamvis bonæ fidei consonum esset; tamen de consuetudine, quæ contra bonos mores non est, omittitur; nam & requisitum, & consuetudo habent diuersis respectibus iustum causam; etenim requisitum nititur rationi, ne societas fraudolenter, & nulliter contrahantur; consuetudo autem nititur difficultati, seu impossibilitati, vt dixi num. seq.

275 Ratio enim, quare hoc requisitum possit omitti, est, quia Pij IV. constitutio non præcipit socio, vt officialem interroget, nec officiali, vt, etiam non interrogatus, exprimat, si alias contraxerit societas: sed solum præcipit, vt ad requisitionem secum contrahentis teneatur exprimere.

Ratio rationis potuit esse, quia hodie si officialis interrogaretur, non posset respondere, cum ignoret societas, quæ super eius officio contrahuntur, vt scripsi infra nu.330. & ideo diuinitus Papa eo modo locutus fuit, non obligando.

276 Quinto requiritur, quòd officium Rom. Curiæ, super quo contrahitur societas ad rationem duodecim pro centenario, possit illum fructum conuentum reddere; alias si officium, super quo contraheretur, non haberet tantum fructum, vel si haberet, iam in eo essent contractæ aliae societas, ita vt ultimo socio vel nihil, vel non vniuersi fructus superessent, societas non teneret, vel non teneret pro ea parte, pro qua in eo officio fructus non extant, quia Pauli, & Pij IV. constitutiones disponunt, ne societas officij contrahatur ultra valorem officij, & ratio est cuius, quia sicut societas officij, inita sine officio, esset nulla; ita etiam erit nulla, si sit inita super officio, quod sit penitus inutile, quia omnes illius fructus alteri, seu alijs debeantur socijs, vel erit nulla pro ea parte, in qua deficiunt fructus, quia valet argumentum de toto ad partem, Io. Azor.

de instit.moral.par.3.lib.9.tit.de societ.cap.8.q.4. & cap. 9. vers.hæc conditio. & Virg. de Boccat.tract.de societ.offic. num.126. & sub num.197. deficit enim materia, siue res substantialis contractus, Castrac. tract. de societ.offic.cap.5.sub num.7. cum officium sit subiectum societatis officij, vt dicit Rot. diuers.decis.287. habebat. vers. dubitaui. in fine, coram Blanchetto in Rom. societatis, lunæ 28. Ianuarij 1591. inter impressas Lugduni 1612. & decis.336.honorius .num. 1. in fine, vers. secundo circumscriptis. coram Illustriss. Card. Millino in Rom. societatis, lunæ 29. Ianuarij 1601.inter easdem, & ideo nō potest stare sine officio, Rot.d. decis.336. num.4. quare requiritur in primis officium, & deinde, quòd illud officium sit capax illorum fructuum; alias societas esset illicita, iniusta, & usurariam prauitatem contineret, Castrac. d.cap.5.nu.5. & Rot.d. decis.336. sub nu.6.† & quòd usurariam contineat prauitatem, satis colligitur ex eo, quòd, sublata societate, remanet mutuum, vt dicit Rot.d. decis.287. vers. dubitaui. in fine, & decis.292.conclusum.in Rom.damanorum.3.Iunij 1575. coram R.P.D. Cotta, & decis.338. fuit per dominos. coram d. Illustriss. Card. Millino, lunæ 20. maij 1602. in Romana. societatis inter easdem impressas Lugduni. ex quo mutuo si recipiatur ultra sortem, est usurpa, sicut ergo, inquā, societas sine officio est nulla, illicita, & usuraria, ita etiam nulla, illicita, & usuraria est pro ea parte, in qua deficit officium, Io. Azor.d.cap.9.vers.hæc

278 conditio. † & ideo pro ea parte fructus sunt computandi in sortem, vel restituendi, vt colligitur ex dicta Pij IV. constitutione, & scribunt Rot.diuers.decis.291.domini.nu.2. 5.& 6.d. decis.338. & d. decis.287. vers.dubitaui. inter impressas Lugduni anno 1612. Castrac.tract.de societ.offic. cap. 6. num.7. & seqq. Virg. de Boccat.eod.tract. nu.102. & Io. Azor.d.cap.9.vers.cum verò.

Non obstat, si contra hoc requisitum; dum pro subiecto societatis officij requirit existentiam officij, quod sit capax fructuum soluendorum; dicatur, societas officij, at-této hoc subiecto, semper esse validas; etiam si ab eodem socio contrahantur super eodem officio plures societas, quæ longè officij valorem, & fructus excedant; siquidem officium, cum sit de regalibus, ideoque non possit obligari, semper remanet integrum apud officialem, & remanendo integrum,

nunquam defecit idem subiectum societatis.

Prout non obstat secundo, si dicamus, quod cum officium non possit obligari, videtur exemptum à commercio, & consequenter societatis validitas non erit sumenda ex capacitate fructuum officij, sed ex periculo.

Quia resp. quod nihilominus officium ad effectum communicandi fructus remanet in communi commercio, prout, soluendo praecedens primum obiectū, respondet Rot. d. decis. 336. num. 3. quod suadetur ex his, quæ, loquendo de censu, imposito super re inalienabili, scripsi supra num. 190. & 191. & hoc modo, quo remanet in commercio, debet habere iustitiam contractus, quæ est, ut societas super fructibus officij possit contrahi, si fructus extent, alias societas sit facta, & quasi vterque videatur se ipsum decipere.

Minus obstat, si dicatur, quod sicut vendens idem prædium duobus, tenetur secundo emptori, cui tradere non possit, ad interesse; ita etiam officialis, contrahens societates cum pluribus, teneatur etiam posterioribus ad interesse.

Quia, ultra responsonem Rotæ ead decis. 336. nu. 4. cū forsan tibi videri posset, quod non tollat omnino illud simile, respondeo, quod si nos supponeremus societates, bona fide contractas cū diuerfis, vt in 4. casu, de quo infra num. 329. admitto oppositionem, quod fructus licet recipiantur à socijs pro omnibus societatibus, vt ibi dixi, sed si supponamus, esse contractas mala fide; vt puta, cum eodem socio, tunc aliæ societates, quæ excedunt, nō tenent, per ea, quæ secutus sum infra nu. 325. quod idem forsan dicerem in secundo emptore, qui scienter emit rem, alteri venditam per ea, quæ de mente scienter rem alienam scripsi infra sub num. 556. exempl. 6.

Pro absoluta tamen & clara explicatione huius requisiti vide omnino casus, de quibus scripsi infra num. 322. & seqq. & 329.

Extende primo hoc requisitum, dum dicimus, societatem officij, contractam sine officio, vel ultra valorem officij, esse nullam in totum, vel in ea parte, vt procedat non solum de iure dictarum cōstitutionum Pontificiarum, sed etiam de iure communi, Rot. diuers. d. decis. 336. sub num. 1. vers. secundo circumscriptis. imò etiam de iure naturali, quia, deficiente fundamento, quod est of-

ficiam, impossibile est, naturaliter loquendo, vt cætera ædificata, quæ sunt societas, & fructus non corruant.

Pro maiori explicatione adde omnino quæ scripsi infra num. 322. & seqq.

Extende secundo, seu potius declara, vt procedat etiam, quod in societate officij sit appositum pactum solitum, vt, socio, vel alio, ab eo nominato, moriente intra sex menses, officialis lucretur pecunias, sibi in societate datas, (quod pactum supponimus semper ex necessitate, cum sit de substantia huius societatis, vt dixi infra sub num. 282. vers. aliam addo.) quia adhuc societas, contracta sine officio, vel cum officio, quod non sit tanti valoris, quanti est summa data in societatem, & ideo non reddat tot fructus, est nulla in totum, seu in illa parte, Castrac. tract. de societ. offic. cap. 5. num. 5. & cap. 6. num. 7. & seqq. Rot. diuers. decis. 336. honorius. sub num. 4. vers. quod verò. in Rom. societatum, lunæ 29. Ianuarij 1601. coram Illustriss. Card. Millino. quæ decisio in d. vers. quod verò. & pleræque aliæ vitio copiæ, vel impressionis nimis corruptæ leguntur; hancq; eandem extensionem in foro exteriori sequitur Io. Azor. de institut. moral. par. 3. lib. 9. tit. de societ. cap. 9. versus finem, vers. ego sanè. vbi, trepidando, ait, quod ipse nunquam consilium daret, vt societates tali pacto contraherentur; si tamen contractæ sint, ait, quod eas non facile, secundum conscientiam condemnaret: at cum iudicio res agitur, societates, inquit, tali pacto contractæ, meritò condemnantur: quod idem apertius iam dixerat cap. 8. præced. q. 4. in fine. & ego ita video seruari.

Ratio huius extensionis ex mente Rotæ in d. decis. 336. vers. quod verò. (supposito etiam officio, sed incapaci tot fructuum, seu, quod fructus ita pingues, & numerosos non habeat, quales dantur socio) est, quia hoc pactum non potest reduci ad aliquam iustitiam contractus: non enim potest reduci ad iustitiam contractus census, Sot. de iust. & iur. lib. 6. q. 6. art. 2. post corollarium. col. penult. in fine, fol. 600. quia pecunia, data pro censu, repeti non potest, Nauar. cons. 25. quæstio prima. sub num. 1. lib. 5. tit. de usur. imò neque reduci potest ad iustitiam contractus census vitalij, quia licet in eo propter vitæ periculū licet soluātur annuatim certi fructus, vt scripsi infra nu. 294. & seqq. confirm. 3. tamen etiam in eo stat natura, & iustitia

iustitia emptionis, & venditionis, cum emens huiusmodi censem, pecuniam amplius repetere non possit: at in isto contractu remanet natura mutui, cum, lapso semestri, possit repeti pecunia data, prout in istis etiam terminis considerauit Rot. diuers. decis. 287. habebat. vers. nec obstat periculum. in Rom. societatis, lunæ 28. Ianuarij 1591. coram bon. mem. Card. Blanchetto inter easdem Lugduni impressas; &, hac mutui natura attenta, fructus accipi non possunt, per ea, quæ scripsi infra num. 403. & seqq. & 408. Ulterius census vitalitus est licitus, quia constituitur, habita relatione ad rem, ut dixi supra sub num. 202. vers. extende. at in societate officij, sublato officio, non remanet relatio ad aliquid. + Minus reduci potest ad iustitiam contractus sponsionis, quia in sponsione periculum lucri, & damni debet esse commune cum iustitia commutativa proportionabili, cum etiam in isto contractu considerentur læsio, & dolus, ut dixi supra num. 132. & infra §. 3. gl. 9. num. 51. sed in isto contractu non adest hoc periculum cum iustitia commutativa, quia officialis pro centum cum periculo vitæ suæ habet ab officio Papæ octo circiter, & incerta; & socius eiusdem officialis pro centum, cum periculo similiter vitæ suæ, habet ab eodem officio duodecim certa vigore societatis; sicquè utrobique est æquale periculum, seu, ut dicit Rot. d. vers. quod vero. & clarius num. 2. in fine, periculum cum periculo compensatur, sed non est æquale lucrum. Ulterius hic contractus, seu sponsio respectu Papæ, & officialis habet iustitiam, quod ille fructus, seu lucrum non est fundatum in euenuit sortis, & fortunæ, hoc est, in sola sponsione, sed est fundatum in officio, empto à Papa, quod verè illos fructus reddit, quia Papa habet illud officium, quod vendit, & alteri illud non obligavit: at sponsio respectu officialis, & socij caret ista iustitia, dum supponimus, officiale vel nullum habere officium, vel habere sine illo fructu.

Aliam addo rationem, nimirum quia hoc pactum lucrandi in casu mortis officialis, seu socij respectiue, operatur, vt pinguior, ac numerosior constituatur redditus in officio, eiusq; societate; cum alias sine isto pacto Papa non daret officiali, nec officialis socio redditum ita pinguem, & numerosum, sed daret minorem, nempè, ad rationem quinque pro centenario: vnde hoc

pactum, cum sit semper de substantia, & natura societatis officij, Castrac. tract. de societ. off. cap. 8. num. 1. non operatur, vt societas possit consistere sine officio, quia implicaret contradictionem, sed operatur, vt redditus augeatur in septem pro centenario, ita vt in societate quinque capiantur ex officio, & septem ex periculo vitæ, sed vnum nō possit stare sine altero; & ita seruat stylus.

Contrariam opinionem; nempè, quod, quamvis iste contractus non possit iustificari ratione emptionis, vel venditionis, quia nulla talis fit, nec ratione mutui, quia mutuans nihil ultra sortem capere potest, neque sola ratione societatis, tum quia capitale remanet saluum, quamvis officialis perdat totam pecuniam, & sic non adest æqualis participatio lucri & damni, tum quia si hæc est societas officij; & nos supponimus, deficere officium, deficit substantia societatis officij, & non entis nullæ sunt qualitates, neque ratione census; tamen sustineri possit in vim sponsionis, propter periculum vitæ, videntur tenere Sot. d. q. 6. art. 2. versus finem, Nauar. cons. 25. quæstio prima. num. 2. & 3. lib. 5. de vñsur. Virg. de Boccat. tract. de societ. offic. num. 196. & 197. vbi, supposita societatis disdicta, & facto deinde patet cum eo, qui societatis bonam fidem recognouerat, quod si ipse, qui pecunias dedidit in societatem, moreretur infra sex menses, & is, qui bonam fidem recognouerat, soluerit fructus semestris, lucraretur pecunias datas in societatem, & supposito casu mortis secutæ intra sex menses, articulo examinato, censet pro validitate pacti, & factum esse locum lucro pecuniarum; Et Sot. vbi supra, quamvis re vera ostendat se huius societatis naturam ignorasse, cum dubitat simpliciter de eius iustitia, tamen concludit, hanc societatem iustificari ex solo periculo, nulla habita consideratione de officio, vel officij reditu, dum ait, quod illud periculum perdendi illa centum est pecunia æstimabile, ideoque sicut in ludo, alijsque fortuitis videntur pro illo periculo durante per semestre iuste recipi sex pro illis centum.

Confirmatur primò hæc contraria opinio, quia contractus, qui eo modo, quo est gestus, non potest sustineri, debet sustineri eo, quo potest, ad evitandum alterius damnum, per ea, quæ scripsi infra q. 7. par. 2. ampl. 20. num. 3. & seqq. vsque ad num. 22. exclusiue, & specialius ead. q. 7. par. 3. limit.

7. sub num. 11. Sed iste contractus videtur posse sustineri in vim sponsionis super periculum vitæ, quia ita potuisset fieri, nulla accedente societate, ut patet ex his contractibus, de quibus scripsi supra nu. 97. & seqq. quare cum hoc pactum videatur præter naturam, & non contra naturam, & substantiam societatis, in foro conscientiæ ex iure naturali non est improbandum; imò etiam si hoc pactum esset contra naturam societatis officij, tamen tunc mutat societatem in alium iustum, & licitum contractum, quasi illæ pecuniæ sint datæ ea conditione, ut, si is, qui eas dedit, obierit infra sex menses, sint officialis, ut, disputando hanc extensionem, discurrit Io. Azor. d. cap. 9. vers. certi juris. & ideo societates officiorum cautelatè contrahuntur cum appositione huius pæti, quia si societas non tenebit, ut societas, eo quia desit officium, vel, si non desit, non habeat tot fructus, sustineatur tanquam contractus sponsionis.

285 Non obstat, quod dicebamus supra num. 282. de æquali periculo, seu periculi cum periculo compensatione, & inæquali lucro: Quia respondeo dupliciter: Primo, videtur posse negari periculi æqualitatem, cum socius, receptis fructibus semestris, subiaceat etiam inuitus periculo per totum illud semestre; ita ut ab illo periculo se per viam solutionis societatis eximere non possit; at officialis non subiacet tanto periculo, cum possit quandocunque ab illo se eximere per viam resignationis: & licet Papa posset non admittere resignationem, tamen de stylo solet admittere, & de facili, non obstantibus, quæ considerat Rot. diuers. decif. 288. fel. recordat. nu. 5. coram bo. mem. Card. Seraph. in Roman. offic. lunæ, 19. Octobris 1598. inter impressas Lugduni anno 1612. & quod est de stylo, & de certa obseruantia, illud consideratur: nam nisi possent resignari, & ita alienari, non ita de facili inueniretur em.

286 ptores. † Secundo respondeo, quod socius potest contrahere cum officiali sub pactis diuersis ab illis, sub quibus officialis contrahit cum Papa, ut patet ex his, quæ scripsi infra num. 301. confirmat. 4. & ideo non videtur relevare consideratio compensationis periculi cum periculo: imò videtur non posse dici propriè compensationem, quia non est de periculo reciproco, qualis eslet, si officialis, & socius subiacerent inuicem periculo, ut, præmoriente socio, lucraretur of-

ficialis, & è contra, præmoriente officiali, lucraretur socius: sed est de periculo alieno, cum periculum vitæ officialis non cedat lucro socij, sed lucro Papæ, sed benè periculum vitæ socij cedit lucro officialis.

Minus obstat, quod maior sit iustitia in contractu huius sponsionis inter Papam, & officialem, quam in contractu sponsionis inter officialem, & socium: Quia respondeo, id esse verum, sed tamen hoc est, de quo dubitatur, an hæc iustitia sit de sui natura necessaria in contractu sponsionis, vel sit necessaria solùm ex Pontificijs constitutionibus, & stylo Curiæ Romanae, quæ iustitiae excellentia fulgent, per ea, quæ dixi infra sub num. 305.

287 Pariter non obstat, quod noluerint, quod potuerunt, quod verò voluerunt, adimplere nequierint: Quia respondeo, quod isto casu, si quod ago, ut ago, non valet, valebit, ut valere potest, per ea, quæ latè scripsi infra q. 7. par. 3. limit. 7. num. 11. & seqq.

288 Confirmatur secundo, quia iste stylus soluendi fructus societatis ad rationem 12. pro centenario, est sumptus, ut arbitror, ex l. 3. in nautica. & l. seq. nihil interest. ff. de naut. fœn. nam sciendum est, quod cum mercator aliquis mutuo accipiebat pecuniam, transuehendam per mare, & illius pecuniæ periculum volebat spectare ad mutuantem, eidem mutuanti, qui illius pecuniæ periculum in se suscipiebat, usuram centesimam per stipulationem promittebat, ut in d. l. 3. & seq. & scribunt Nauar. in cap. si fœneraueris. num. 14. not. 8. 14. q. 3. Couar. var. resolut. lib. 3. cap. 2. nu. 5. vers. constat sanè. Io. Bapt. Lup. in cap. nauiganti. in præfat. num. 10. vers. colligitur modo. de usur. inter tract. diuers. tom. 7. fol. 135. Boni. tract. de vendit. ad temp. cap. 3. nu. 18. Molin. de iust. tom. 2. de contract. disput. 304. vers. quoad ius cæsareum. ibi, maxima nāque. & Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 5. tit. de usur. cap. 2. q. 3. vers. notandum est. & lib. 7. tit. de mutuo, cap. 7. q. 8. initio, & vers. verum aliter. quare, secuto naufragio, & perdita pecunia, mutuatarius non tenebatur eam restituere; † hæcq; pecunia in iure nostro sæpe vocata est trajectitia, ut in l. 1. & seqq. ff. de naut. fœn. Et an sine stipulatione debeatur usuram centesima, vide Strach. tract. de asscur. in præfat. num. 24. & 25. tom. 6. par. 1. fol. 359. Et quæ dicatur hæc usuram centesima, & quare sic vocetur, vide

vide infra q. 7. par. 2. ampl. 8. num. 53. not. 3.
Et an hæ leges ciuiles, nauticum fœnus per-
mittentes, sint lege Pontifícia sublatæ, vide
ead. ampl. 8. num. 43. not. 2.

290 Ratio huius fœnoris fuit, non solum pe-
riculū, quod in se suscipiebat mutuator, sed
fuit etiam impensa, quā, transmittendo ser-
uum, faciebat: nam creditor, & debitor in
nautica pecunia conuenire solebant, vt ser-
uus creditoris nauigaret cum debitore ad
locum, ad quem pecunia erat transuendenda,
illamq; præstituto die exactam custodiret,
& ad domum reduceret, & creditor pro ope-
ris, & sumptibus huius serui aliquid in sin-
gulos dies stipulabatur, quòd centesimam
vsuram non excedebat, Gl. in d. l. nihil inte-
rest. in verbo, pro operis. Strach. tract. de
assecurat. in præfat. num. 16. vers. sed vt tra-
iectitiæ. tom. 6. par. 1. fol. 358. & Io. Bapt.
Lup. in d. cap. nauiganti. in præfat. sub num.
9. de vsur. inter tract. diuersi. tom. 7. fol. 135.

291 Sic in societate officij, stylus, taxando
fructus ad rationem 12. pro centenario, vi-
detur respexisse non solum periculum, cui
creditor se exponit, non in casu, quo pereant
pecuniæ, sed in casu, quo pereat ipse credi-
tor, cui forent restituendæ, volens, quòd,
perempto ipso creditore, pereat creditum:
sed videtur respexisse etiam fructus, quos
ipse officialis debitor capit ex illis pecunijs,
mediante officio; & ideo sicut in nautica
pecunia vsura cētesima ratione periculi ex-
cedit operas, & sumptus serui, quorum cau-
sa videtur permitta; ita etiam fructus, soluen-
di socio, possunt ratione periculi excedere
fructus, quos officialis capit ex officio: &
ideo licet officium, quod habet officialis,
non reddat vltra octo pro centenario, tamen
ratione periculi potest super eo contrahi so-
cetas ad rationem 12. pro centenario, vt
dixi infra.

292 Et licet prædictæ leges loquantur de su-
sceptione periculi, id est, de assecuratione
pecuniæ nauticæ, tamen earum legum di-
spositio, & materia extenditur etiam ad as-
securationem vitæ hominis, iuxta casum,
quem retuli infra §. 3. gl. 3. num. 51. decl. 5.
quare si iturus Hierusalem, vel ad alium
longè distantem locum nauigaturus, vellet
sibi vitam per annum assecurari, potest suæ
vitæ premium imponere, puta scutis decem-
mille, & pro tanta summa soluere assecu-
ratori premium assecurationis, puta scut. 1200.
ad rationem 12. pro centenario, ita vt asse-

curato non moriente infra annum, assecu-
rator lucretur dictos scut. 1200. & eo morien-
te, assecuator soluat assecurati hæredibus
dictos scutos decem mille.

293 Licet etiam periculum vitæ socij, dantis
pecunias in societate officij, conueniat ma-
gis periculo sponsionis, quām periculo asse-
curationis, cum iste socius non emat suæ vi-
tæ periculum, sed potius videatur vendere,
cum recipiat 12. pro centenario. Satis ta-
men est, quòd assecuratio, & sponsio con-
ueniant in pretio, & substantia, & differant
in hac sola qualitate, quòd assecuratio ha-
bet certam, & iustum causam, sponsio verò
habet latentem, vt dixi supra num. 131.

294 Confirmatur tertio, quia ratione pericu-
li potest quis licet obligari ad soluendos
maiores fructus, quām percipiat ex re, in
cuius fructibus fundata est obligatio sol-
uendi illos fructus, vt in censu vitalitio, cu-
ius fructus possunt esse decem pro centena-
rio, quamvis fundus, seu res, super qua cen-
sus imponitur, non reddat nisi quinque pro
centenario, & tamen iste contractus propter
dubium euentum, quia potest diutius viue-
re, & citius mori, est licitus, vt in annua
pensione, quam ex monasterio S. Dionysij
vendiderunt Abbas & conuentus dicti mo-
nasterij Episcopo Eboracen. scribunt Ol-
drad. cons. 207. vniuersis. num. 4. vers. præ-
terea. in fine, & num. seqq. Petr. de Anchar.
in solemnī disputat. antiquis. Io. de Anan.
in cap. 6. in ciuitate. sub num. 23. vers. quar-
tus articulus. de vsur. & alij, quos sequun-
tur Dec. cons. 123. perlectis. initio, & num. 1.
& Natt. cons. 498. deductum fuit. num. 13.
& 14. & secutus sum §. seq. gl. 5. num. 150.

295 † & quòd census vitalius possit licet emi,
& vendi, modo pro eo iustum premium tra-
datur, scribit Medin. in suis tract. tom. 2. tit.
de reb. per vsur. acquis. q. 14. vers. itaque
non dubitatur. col. 5. fol. 409. imò, quòd
emptio census annui ad vitam ob incertitu-
dinem lucri, & damni, sit magis licita, quām
emptio census perpetui, scribit Io. Bapt. Lup.
in l. 2. §. 2. num. 34. vers. similiter. C. de

pact. int. empt. & vendit. tom. 7. fol. 128. † &
quòd Ecclesia, recipiens ab aliquo fundum,
valentem mille, cum pacto alendi eum toto
tempore vitæ suæ, non dicatur læsa, quam-
uis ille vixerit tanto tempore, vt alimenta
longè excesserint premium fundi, quia sicut
longo tempore vixit, ita etiam statim mori
potuisset, & ideo iste contractus non sit fœ-
nera-

neratius, sed licitus, refert etiam & sequitur Castrac. tract. de societ. off. cap. 4. num. 297 46. † Et quod ob istum incertum cumentum iustus, & licitus sit contractus, quo quis monasterio religiosorum, vel collegio clericorum dat mille aureos, vel res, totidem æstimatas, ea lege, ut dum vixerit, debeat monasterium, vel collegium certam pecuniaæ quantitatatem quotannis soluere, & post eius obitum illa mille sint monasterij, & hanc consuetudinem esse approbatam ex communione Doct. sententia, scribit Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 9. tit. de societ. cap. 9. vers. certi iuris est. in fine, & nos passim videmus hic Romæ, quod collegia religiosa vendunt hos census vitalitios: † & quia in censu vitalito maiori, & minor reditus constituitur, non ad rationem fructuum, sed ad rationem periculi, & spei vitæ illius, qui vitalitum censum emit, pretium ex illius ætate, & valetudine, & alijs circumstantijs metiri debemus, adhibito boni viri prudenti arbitrio; si communis deficeret Provincie æstimatio, Couar. var. resolut. lib. 3. cap. 9. sub num. 7. vers. quamobrem. & quod emens censum ad vitam debeat dare pretium, secundum quod est verisimile, quod viuere possit, alias, si iuuenis homo emeret mille libras pro censu libris, non procederet securè talis contractus, & quod posset conditio contrahentis cum Ecclesia esse naturæ tam debilis, etatisq; tam decrepita, vt tunc excedere ultra duplum, vel triplum, non esset peccare in Spiritu sancto, scribit Laur. de Rodolph. in cap. consuluit. post rubr. q. 15. sub num. 49. & q. 16. num. 51. in fine, de usur. inter tract. diuers. tom. 7. fol. 20. & 21. & quod debeat attendi quantitas pretij, & qualitas personæ, puta an sit iuuenis, vel senex, vel infirmus, robustus, vel debilis, sequitur Io. de Anan. in cap. 6. in ciuitate. num. 21. de usur. alij tamen sentiunt, hoc census vitalitij pretium sumi debere ex l. 68. hæreditatum. ff. ad l. falc. vt refert idem 300 Couar. sub cod. num. 7. vers. sed fortassis. cuius l. dispositionem retuli, & fecutus sum in meo tract. de iudic. caus. lib. 2. cap. 2. sub nu. 477. vers. quia respōdeo. & seqq. vbi videas; at Laur. de Rodolph. in locis supra proximè citatis, id non simpliciter affirmat, sed docet, vt eum retuli, & Couar. d. cap. 9. num. 8. & præsertim vers. exterum quod. expressim tenet, ex ea l. pretium iustum deduci non posse, & quod sit iustum pretium, latè ex-

minat, copiosèq; expendit intellectum d. l. hæreditatum. tu poteris eum videre, addendo, quæ scripsi d. cap. 2. sub num. 477. & hic concludo cum doctissimo Medin. infra citando, qui videtur his omnibus melius explicasse, dum, relatis duobus modis taxandi pretium huius census, ijsq; impugnatis, concludit, esse taxandum secundum consuetudinem, communiter approbatam à bonis, & prudentibus, & vbi non extaret hæc consuetudo, esse attendendam ætatem, qualitatem, officium, atque complexionem ipsius, qui vitalitum vult emere, similiter & loci (in quo est habitaturus) temperie, & cæteris, quæ solent vitam prolongare, aut abbreviare; & vterius, constituto ex his considerationibus certo prelio, si illud tantum sit, quod si homini prudenti daretur optio ad vnum de duobus eligendum, puta, ius percipiendi decem per singulos annos vitæ illius emptoris, aut pretium in promptu datum, & animus illius esset ad vnum, vel alterum eligendum indifferens, aut saltem parum plus, vel minus, quam ad alterum declinaret, illud diceretur pretium iustum illius vitalitij, quia præsumeretur æqualitas inter pretium, & rem, Medin. in suis tract. tom. 2. tit. de reb. per usur. acquis. q. 14. sub vers. alius modus. iunctis vers. præcedentibus. col. 6. 7. & 8. fol. 400. quare iusta esset emptio anni reditus triginta pro centenario, si emptor esset nonagenarius, & infirmus, & quamvis præmium censuale solum quinque fructificaret; dummodo totidem fructificaret.

Imò maior reditus, quam sit in fructu, potest constitui non solum in censu vitalitio ratione periculi, vt dixi supra num. 294. sed etiam in censu perpetuo redimibili, ratione facultatis, quam venditor habet redimendi quandocunque, cum census liber pluris valeat, quam redimibilis, vt latius explicauit infra q. 7. par. 2. ampl. 8. num. 37. vers. ratio.

Requiritur tamen semper, quod bona, super quibus iste census imponitur, sint capacia illius anni reditus, alias annuus reditus non teneret, nisi pro ea parte, cuius illa bona essent capacia, vt declarauit supra nu. 242. & 243. declar. 2.

Confirmatur quarto, quia pactum, seu contractus sponsionis est licitus, vt securus sum supra num. 88. & seqq. & societati officij non repugnat; imò habent simbolum, cum in vitroque exponatur lucrum fortis, & fortunæ:

fortunæ: Sed contractui societatis possunt addi alij contractus, idest, pacta licita, & honesta, ut disponitur in Pij IV. constitutione, cum omnis contractus, etiam societatis legem accipiat ex partium cōventione, l. contractus. ff. de reg. iur. & ideo in societate officij socius addit pactum, quod per mortem officialis non vult perdere pecunias societatis; & tamen de natura societatis deberet illas perdere: Ergo debet etiam societas posse addi hoc aliud pactum, quod societas, si non valet ut societas, valeat ut sponsio, cum sponzionis iustitiam habeat.

Corroboratur hęc confirmatio, quia, sicut vnius scuti pretio in singulos menses officialis à socio emit contingentiam mortis ipsius socij, qua contingente intra semestre, socius perdit centum, & officialis ea lucratur, ut dixi supra num. 280. ita etiam socius eodem scuti pretio in singulos menses potest à tertio emere eandem contingentiam sue mortis, qua contingente, tertius amittat centum, & socius lucretur; si enim socius, receiptis fructibus anticipatis vnius semestris ex officij societate, omnibus numeris absoluta, timeret intra illud semestre obire mortem; & sic perdere capitale societatis, utique possit mortis periculum emere, & ita se assecutare, quod illud capitale non perdet; quia quod perderet cum officiali, recuperaret cum tertio; hicque contractus, qui dicitur assecurationis, reputatur ab omnibus licitus, ut dixi supra num. 129. & sub num. 133.

Sed contractus inter socium & tertium fundatur in sola emptione periculi, & ad sui validitatem aliquod non requirit officium; ergo idem esset dicendum in contractu inter socium, & officiale, cum inter casum, & casum non sit dare rationem diuersitatis.

302 Confirmatur quinto, quia si iustitia societatis officij penderet à qualitate redditus officij, & non à vi sponzionis, sequeretur, quod omnis societas contracta ad rationem 12. pro centenario super officio, quod vel certitudinaliter, vel probabiliter reddit solum octo pro centenario, esset iniusta, & usuraria, etiam si officium esset tanti valoris, ut eius redditus longè excederet fructus, quos officialis soluit socio; quia non per hoc tolleretur societatis inæqualitas, quæ societatem facit leoninam; quare nihil interest, quod fructus soluātur socio ex redditibus officij, vel ex alijs redditibus, dummodo soluātur

cum inæqualitate: & nugatoria esset lex, & quasi verbis, & non rebus imposita, si inæqualitatem sine causa admitteret magis una via, quam alia; sequeretur etiā, quod ex pluribus societatibus officij, contractis à diuersis super eodem officio, capace cuiuslibet societatis de per se, sed incapace plurium, societates posteriores essent nullæ, quia nihil cum eis communicandum supereffet; & ex his sequelis daretur alia, quod iudiciorum usus, qui predictas societates admittit, ut dixi infra num. 322. 329. in primo & 4. casu, nutriri peccarum.

303 Sed istae sequelę non videntur concedendæ: ergo nec illarum antecedens, & consequenter videtur concludendum, iustitiam societatis pendere à vi sponzionis: & si pendet à vi sponzionis, ita debet valere societas in uno casu, sicut in alio, & sic etiam in casu, quo fructus officij non adæquarentur fructibus societatis, eo quod summa societatis excederet summam capitalis officij, imò etiam si nullum extaret officium; maximè si verum esset, quod officia interponerentur ad colorandum contractum, ut dicit Rot. diuers. quam citauit infra sub num. 322 vers. ratio qua.

Confirmatur sexto, quia ex officio, considerato eius valore, potest in societate latenter nullitatis vitium, & subinde usuraria prauitas frequenter obrepere, & sic socio contra eius culpā facilem damnum, & deceptio oriri; hoc modo, quia etsi officia quoad Papam habeant certum valorem, tamē quoad alios, qui eadem alijs per viam resignationis reuendūt, est incertus, & diffinis, iuxta fori aestimationem; sicque potest frequenter oriri, ut dans pecunias in societate, ignoranter credat, illud officium esse maioris valoris, cum in hoc stemus proxenetarum dicto, imò qui simpliciores sunt, & huius contractus naturam ignorant, adeo bona fide contrahunt, ut, nulla habita officialis notitia, officij valore penitus ignorato, societatis initæ fidem à notario bona fide accipiunt, ignorantes, an illa fides, de more subscripta, sit ab officiali, vel ab alia persona falsò subscripta, hęc q; bona fides adeo crevit in hoc contractu, ut etiam prudentes viri hac simplicitate contrahant; quare aut hęc bona fides, & consuetudo tollendæ sunt; aut officij usus, ex quo in dies insurgunt, multiplicanturq; lites, esset ita reformandus, ut litium occasio, quoad fieri posset, cessaret.

Con-

Confirmatur septimo, ceteris confirmationibus præcedentibus omisis, quia ipsamet Rota Rom. sustinet aliquando societatem officij sola vi sponsionis, nempe, quando super aliquo officio sunt contractæ tot societates, ut longè excedant officij valorem, & alias, illis societatibus ignoratis, societatem super eodem officio contrahit, quo casu fructus, ex ea perceptos, non esse restituendos, quia sustinetur in vim sponsionis, scripsi infra num. 329. & sub num. 331. vers. declara.

304 Pro resolutione huius controvæ distingo duplex forum.

Primum est forum interius: & in isto videtur concludendum, posse sustineri, dummodo nihil fiat in fraudem legis, & pretium scutorum duodecim sit iustum pretium periculi; dicitur autem non fieri in fraudem legis, quando contrahentes habuerunt verè animum contrahendi sponsionaliter ratione periculi: quia in foro interiori inspicitur sola veritas, & non inspiciuntur præsumptiones, & coniecturæ fraudis, & cum hac conclusione concordat Io. Azor. quem citaui supra sub num. 280.

305 Secundum est forum exterius: & in isto distingo: Aut loquimur in Vrbe, & statu ecclesiastico, & concludo, societatem officij, contractam sine officio, vel cum officio, in quo non sit totus reditus, qui debetur socio, esse nullam, & non posse in foro fori sustineri in vim sponsionis, quia in Vrbe hæc sponsio non admittitur, & præsertim in societate officij, nisi habeat conditiones, quas præcipit constitutio Pontificis, nempe, ut simul cū sponsione concurrat capacitas officij pro illo reditu, ita ut quinque capiantur ratione fructuum, & septem ratione periculi, sed omnia 12. ex fructibus; quia in Vrbe, vbi est tribunal Vicarij Christi restringi debent commercia, quæ otio, & quasi ludo nutriuntur, per ea, quæ dixi supra sub num. 124. declar. 2. & magna possent disputatione controvæti, per ea, quæ dixi supra sub num. 85. & seqq. & strictè prohiberi debet non solum usurpa, sed etiam id, quod usurpæ suspicionem videtur habere, & ut ab illicito abstineamus, prudenter quandoque quod vix est licitum, nobis denegatur, iuxta ea, quæ scripsi supra sub n. 17. & ita in hoc foro, in quo iudicat Rota, optime procedut magistralis decis. 336. coram Illustriss. Card. Millino, & Azo- rii doctrina allegatae pro extensiōne sup. num. 280. Nec obstat casus, in contrarium relatus

sup. sub nu. 303. in 7. confirm. quia ille casus habet suā rationem, & quod in eo est toleratum, in alijs denegatur, quia, cum in societate officij timeamus latentem usuram, non licet ex vna tolerantia non irrationali deducere aliam. Aut loquimur extra Vrbem, & extra statum Ecclesiasticum, & sic de iure communi: & tunc, supposita iustitia periculi cum lucro, censerem, hunc contractum posse sustineri, non vti societatem officij, quia vti societas officij illud periculum non æstimatur 12. pro centenario, nisi concurrat reditus officij; sic societatis natura composita; sed censeo, posse sustineri de iure communi in vim sponsionis, cum satis ostenderimus, ratione periculi posse consti- tui aliquod lucrum, nullo considerato fructu, vel interesse; & sic materia de sui natura non repugnat: imò officium seruit ad colorandum contractum societatis, Rot. diuers. quam citaui infra q. 7. par. 1. num. 89. in respons. ad 10. argum. & infra sub num. 322. vers. optima. vbi videas.

Amplia obiter, & notabiliter vniuersam hanc resolutionem, cum distinctione dupli- cis fori, vt habeat locum etiam in censu vitalitio, celebrato sine fundo, quia omnes considerationes spōsionis, & cætera, dicta in societate officij, bene quadrat cœsi vitalitio.

306 Retenta extensione, posita sup. num. 280. quod societas sine officio, vel pro ea parte, in qua fructus deficiunt in officio, sit nulla, & ideo fructus sint illicite percepti, iuxta tamen distinctionem quatuor casuum, quos posui infra nu. 322. & seqq. & 329.

Subextende primo eam, vt procedat, non obstante consuetudine in contrarium, Rot. diuers. decis. 291. domini. num. 2. in Rom. societatis, ven. 23. Iunij 1600. & decis. 309. domini. sub num. 2. quæ est denuo superflue impressa, & decis. 336. honorius. in fine, num. 7. in Rom. societatis, lunæ 29. Ianuarij 1601. & decis. 338. fuit per dominos. in Rom. societ. lun. 20. Maij 1602. coram Illu- striss. Card. Millino inter impressas Lugdu- ni 1612. quæ superflue legitur denuo decis. 177. inter impressas Romæ anno 1615. quia consuetudo nihil operatur in usuris, Rot. diuers. decis. 193. conclusum. num. 1. par. 1. & in decisionibus supra proximè citatis, & decis. 84. fuerat. num. 2. coram R. P. D. Gypcio, in Vrbe uetana census, lunæ 6. Iunij 1594. & decis. 85. fuit resolutum. num. 2. coram bo- mem. Card. Blanchetto, in Rom. census, lun.

13. Iunij 1594. in impressis Romæ 1615. 309
 Castrac. tract. de societ. offic. cap. 4. num. 23.
 & in alijs terminis Io. Azor. quem secutus
 sum infra q. 7. par. 1. num. 88. in fine.

307 Declara hanc subextensionem, distin-
 guendo consuetudinem in duas species.

Prima species est consuetudo interpreta-
 tiua, quæ habet locum dumtaxat in casu
 dubio: & in hac rursus distinguo: Aut in ea
 concurrit scientia, ideoque tacitus Pontificis
 consensus, & casus, sublata consuetudi-
 ne, haberet probabilem dubitationem: &
 tunc concludo, quod illa consuetudo habet
 vim approbandi contractum, & consequen-
 ter erit seruanda non solum in foro exterio-
 ri, sed tuebitur etiam in foro interiori: Aut
 non concurrit, & tunc vim non habet; & in
 hac consuetudine, in qua scientia Principis
 nō cōcurrerit, procedit hæc prima subextensio.

Secunda species est consuetudo tolerati-
 ua, nempè ad evitandum maius malum: &
 in hac denuo distinguo: Aut loquimur in
 foro conscientiæ: & concludo indistincte,
 non esse attendendam, & eum, qui eam
 seruaret, peccatum per ea, quæ dixi infra
 q. 7. par. 2. ampl. 10. sub num. 45. Aut loqui-
 mur in foro fori; & rursus distinguo: Vel
 Pontifex non consentit huic consuetudini,
 & non consentire præsumendum est; & isto
 etiam casu procedit hæc prima subextensio:
 Vel Pontifex consentit, idest, tolerat hanc
 consuetudinem, quod est non solum credi-
 tu, sed etiam dictu difficile: & tunc dico,
 quod hæc consuetudo toleranda est in foro
 exteriori, de quo loquimur, per ea, quæ dixi
 d. ampl. 10. num. 45.

308 Subdeclare vterius hanc declarationem,
 vt consuetudo interpretatiua dicatur illa,
 qua sublata, casus, ab ea decisus, remane-
 ret valde dubius; nam tunc, si illa consue-
 tudo habeat sua requisita, non potest esse
 nisi interpretatiua: præcipuum autem re-
 quisitum illud erit, vt habeat in se scien-
 tiam, & consequenter tacitum Pontificis
 consensus, quia ad eum, vti Christi Vica-
 rium, pertinet iuris diuini interpretatio: To-
 leratiua verò per oppositum dicetur ea, qua
 toleratur casus, qui est clarus contra aper-
 tam iuris diuini, seu naturalis dispositio-
 nem, qualis est casus fornicationis, læsionis
 inter ementem & vendentem, & ipsius usuræ
 iuxta ea, quæ scripsi infra q. 7. par. 2. ampl.
 10. nu. 45. & seqq. Et quia eiusmodi consue-
 tudo toleratiua est dura, debet clare probari.

Infero primo ex hac subdeclaratione;
 quod, data consuetudine ineundi societates
 officij, etiam super officijs, quæ non sint ca-
 pacia fructuum, promissorum pro pecunijs,
 acceptis in societate, & supposito, quod
 eiusmodi consuetudo videatur nutritiu-
 ussurarum, ad iudices, & Rotam pertinet de-
 clarare, an hæc consuetudo sit interpretati-
 ua, seu toleratiua, & an habeat sua requisi-
 ta, & istis considerationibus, & circumstan-
 tijs adhibitis, intelligo Rotam, quam citau-
 imus supra sub num. 306. dum dixit, illas so-
 cietares non tenere, non obstante consuetu-
 dine in contrarium.

310 Infero secundo, hac consuetudine inter-
 pretatiua posse sustineri imprestita Vene-
 tiarum, & alios contractus, de quibus in-
 fra num. 452. & Pontifica interpretatione
 sublatam esse difficultatem, quæ erat in-
 monte Pietatis, & in contractu census, &
 in societatibus officij; de quibus monte,
 contractu census, & societatibus officij,
 scripsi infra num. 444. supra num. 175. &
 260. & seqq.

311 Subextende secundo, vt procedat etiam
 si quis super eiusmodi societate officij re-
 scriptum confirmatorium à Papa extorque-
 ret, quia adhuc non suffragaretur, cum usur-
 æ sint prohibitæ, etiam de iure diuino, &
 Papa contra illud, & super pacto, usuram
 sapiente, non dispensem, Rot. diuers. decis.
 292. conclusum, sub num. 3. vers. & ad sup-
 plicationem. & num. 4. & 5. in Rom. dam-
 norum, 3. Iunij 1575. coram R. P. D. Cotta
 inter impressas Lugduni 1612. quæ est de-
 nuso superflue impressa decis. 307. & latius
 decis. 85. fuit resolutum. num. 3. vers. con-
 firmatio autem Papæ, in Rom. census, lun.
 13. Iunij 1594. in impressis Romæ 1615. &
 quod super diuina prohibitione usurarum
 non dispensem, quovis etiam fauore mi-
 litante, secutus sum infra S. 3. gl. 3. sub
 num. 43. vers. quia. + Imò usuræ est prohibi-
 ta etiam de iure naturæ, vt secutus sum in-
 meo tract. de iudic. caus. &c. lib. 2. cap. 9.
 num. 554. cui iuri naturali nullum huma-
 num contravenire potest, Sot. de iust. &
 iur. lib. 4. q. 3. art. 1. initio, fol. 301. & ideo
 est omnino indispensabile, & nullo alio iu-
 re, aut consuetudine potest abrogari, Mich.
 Sal. ad D. Thom. 2. 2. q. 4. de dominio, art. 1.
 vers. vtebantur hi. fol. 124. & efficacius Sot.
 quem, loquentem de indispensabilitate
 usuræ, secutus sum infra num. 320. cum
 ius

312

ius naturæ sit immutabile, vt retuli, & declarauit infra q.7.par.2.ampl.19.num.11.& 21. & ratio quare lex positiva non possit tollere, seu derogare iuri naturæ, est euidens, videlicet, quia omnis lex profluit à iure naturæ; ergo non debet destruere suum principium, per ea, quæ dixi d. ampl. 19. num. 40.& 45.

313 Hæc subextensio (quicquid sit in casu illius decisionis) supposita legitima rescripti imprestatione, eiusq; clara dispositione, indiget eadem declaratione, de qua supra num. 307. nam ego admitto, quod nec consuetudo, nec Papa possint, derogando iuri diuino, permettere in foro interiori usuram, & ideo admitto, quod si contractus sit clarè usurarius, ita vt de eo probabiliter dubitari non possit, consuetudo, mos regionis, & Princeps non possit illum approbare, sed dico, quod tam Papa, quam consuetudo, accedente eius consensu, saltem tacito, possunt tolerare usuram in foro exteriori, idest, eam aliquo casu non punire, & quando causus esset dubius, possent circa usuram interpretari ius diuinum etiam quoad forum conscientiæ, prout explicaui supra d. num. 307. & latè etiam infra §.6. gl.1. num. 48. & seqq.

314 Infero ex hac subextensione, & superius dictis, eos, qui dicunt, quod consuetudo, & lex, præsertim Pontifica possunt ex rationabili causa aliquo casu derogare iuri diuino, vt retuli infra d.gl. 1. num. 48. & 49. aut non verè, aut impropriè locutos, quia

315 non est derogatio, sed interpretatio, & ideo admitto, quod viduæ non debeant fructus dotis, hocq; adeo sit verum, vt nec pactum, nec statutum in contrarium valeant, & tamen ei debeantur ex statuto, confirmato à Papa, vt scribit Hier. Gabr. cons. 152. iure communi. num. 3. lib. 2. & an & quando viduæ debeantur fructus dotis, & quid, stante statuto, vide quos citauit in meo tract. de appell. q. 17. limit. 8. num. 5. vers. sed an. & vers. sed hæc difficultas. & infra q. 7. par. 2. ampl. 8. sub num. 176. vers. quinta facti species. Item admitto, quod soluto matrimonio, vidua usuram committat, si ex pignore, sibi ab hæredibus mariti dato, fructus percipiat, & non computet in sortem, Archiepisc. Floren. tract. de usur. cap. 2. §. 29. num. 46. tom. 7. fol. 83. & tamen Papa possit confirmare statuta Vrbis lib. 1. cap. 137. quæ mandant, vt vidua possit loco alimentorum

ex pignore dotali percipere fructus, & eos non computare in sortem; sed dico, quod Papa non facit hoc per viam derogationis, sed per viam interpretationis; & quando Papa, seu lex videntur ex causa recedere à lege diuina, seu naturali, sicque videntur eisdem derogare, non recedunt, quia lex ipsa naturalis & diuina videntur ex illa causa mutare dispositionem, vt declarauit infra q.7. par. 2. ampl. 19. num. 40. & 41. quare multò minus verè, aut magis impropriè loquuntur, qui dicunt, hanc, vel illam legem positiuam esse contra ius naturale, vt aduerti eodem num. 40.

Declaro rursus notabiliter utramque subextensionem, vt in dubio sustineri debeant commercium, & contractus, & proinde videntur dicendum, quod tam Rota, quam ipsimet legislatores proni esse non debent ad infringenda commercia, quæ Populi usus enixe desiderat, & moueor ex pluribus.

Primo, quia commerciorum usus est adeo Reip. utilis, & necessarius, per ea, quæ dixi sup. num. 45. & seqq. & num. 66. & seqq. vt in dies commercia dilatentur, ideoq; contractus, alias de usurâ suspecti, quales erant census, montes, & ipsa officij societas fuerunt non prohibiti, sed certa præscripta forma concessi, vt loquendo de censu explicavi sup. num. 175. & seqq. & loquendo de monte pietatis, infra num. 444. & seqq. & loquendo in societate officij, supra nu. 260. & seqq. ad eum, & à consuetudine ampliati, vt scripsi supra nu. 263. vers. verum. & infra q. 6. num. 8. versus finem; cui quidem consuetudini, ob nimiam Curialium necessitatem inductæ, etiam ipsa Rota solet adhære re, & in societatibus vt plurimum esse adhærendum, à communiq; obseruantia, & indubitate mercatorum consuetudine non licere recedere, scribit, loquendo de consuetudine societatis officij, Rot. diuers. decis. 311. pater. sub num. 5. & 6. in Rom. societat. lunæ 9. Maij 1588. coram R.P.D.Gypso, in impressis Lugduni 1612.

Secundo, quia propter conditiones hominum imperfectorum, in quibus multæ utilitates impedirentur, si omnia districtè prohiberentur, ius tam Cæsareum, quam Pontificium in commercijs potius tolerat, quam coerceat; qua ratione utrumque ius tolerat, vt contrahentes se inuicem decipere possint usque ad medietatem, vt, declarando, secutus sum infra q.7. par. 2. ampl. 10. num. 1. sub

num. 5. extens. 3. & num. 41. & seqq. ad eum.
& aliquando consuetudini indulgendum
est, ne peiora committantur, vt dixi infra
§. 6. gl. 1. num. 53. versus finem.

318 Tertio, quia Princeps legem, quam tulit, debet, quoad potest, reducere ad usum populi; cum leges nulla alia ratione adstringant, nisi quia populi consensui nituntur, ita ut aliquam vim habere non videantur, nisi quatenus ab usu receptæ sint, l. 31. de quibus. ff. de legib. in illis verbis, nam cum ipse leges nulla ex alia causa nos teneant, quām quod iudicio populi recepta sunt, & secutus sum in meo tract. de iudic. caus. lib. 2. cap. 9. num. 417. Et hoc procedit, dummodo consuetudo illa non sit talis, quæ à Principe iudicaretur contraria inconciliabiliter iuri diuino, quia consuetudo non potest tollere ius diuinum, per ea, quæ dixi supra nu. 307. & dummodo Princeps contra legis inobseruantiam non insisteret, quia hodie Princeps potest legibus iustis populū etiam inuitum ligare, quia, vt dicit Apost. ad Rom. qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit, Medin. in suis tract. tit. de reb. rest. q. 37. vers. ad quintam. col. 8. fol. 259. & ad l. de quibus. resp. quod procedit in legibus, quæ condabantur, accedente populi consensu, ut servuant hodie Respublicæ.

319 Subextende tertio obiter, quod diximus, usuram esse indispensabilem, vt nedum consuetudo, & Papa, seu ius canonicum non dispensent super usuris, vt iam diximus, sed neque Deus ipse, seu ius diuinum, quia usuræ vitium est contra naturam, seu contra præceptum naturale, vt secutus sum infra num. 401. & 404.

320 Sed quod est contra naturam, seu contra præceptum naturale, neque à Deo ipso dispensatur, Sot. de iust. & iur. lib. 2. q. 3. art. 8. vers. & per hæc. col. 9. ibi, ac perinde potuit. fol. 117. & lib. 6. q. 1. art. 1. vers. in secundo arguento. col. 11. fol. 529. tum quia præceptis naturalibus, quæ innatam habent iustitiam, repugnat ex parte rei dispensatio, & ideo, quia Deus est ipsissima iustitia, si super præcepto naturali dispensaret, se ipsum negaret, eò quod ordinem iustitiae subuerteret, & tamen, vt ait Apost. 2. ad Timoth. 2. num. 13. loquendo de Deo, ille fidelis permanet, negare seipsum non potest. Sot. d. art. 8. tum quia, quod natura vetat, tam intrinsecè malum est, quām est homini esse rationalem, cuius contrarium non est

factibile, & eadem ratione licere non potest, quod natura vetat, Sot. d. art. 1.

Hanc eandem subextensionem intelligas cum eodem grano salis, quo intelleximus præcedentes duas, vt sicut ius canonicum ex causa videtur derogare, & non derogat, sed interpretatur ius diuinum: ita etiam ius diuinum non destruit, sed interpretatur præcepta naturalia, ideoque potuit iudæis tolerare usuras, vt declarauit infra §. 3. gl. 3. num. 44. & seqq.

321 Subextende quarto, vt procedat etiam si officialis haberet officium, & ad illius societatem alium non adsciuierit, & ultra illius valorem pecunias non acceperit, sed tamen socio promiserit soluere fructus numerosiores illis, quos ipse officialis ex officio percipit; quia adhuc hæc societas quoad illum fructuum excessum est illicita, Card. Tolet. de instruc. facerd. lib. 5. cap. 40. num. 4. vers. tertia enim. & num. 10. vers. posterior etiam. vbi multum exclamat contra istas societas, quæ contrahuntur ad rationem duodecim pro centenario super officijs, quæ non fructificant nisi octo, vel nouem pro centenario, imò etiam super officijs, quæ reddunt solum quinque, subdens, quod talis contractus est pessimus, obligans ad restitutionem, & quod isti socij non excusantur ignorantia, quia est nimis crassa, neque excusat eo, quia fingant locare fructus suos officiali pro tanto pretio; & ideo, quamvis deficiant, sibi tamen debeantur.

322 Breuiter agendo pro resolutione non solum huius quartæ subextensionis, sed totius huius quinti requisiti, de quo supra nu. 276. & illius extensionum, & subextensionum, de quibus supra num. 279. & seqq. dum in eis egimus de societate officij; quod non est capax omnium fructuum promissorum socio, seu socijs, considero quatuor casus, & declarationem, de qua infra num. 339.

Primus casus est, quando officium est tanti valoris, vt nihilominus reddat illos fructus; vt puta, quia officium valeat scut. 2000. & ad rationem octo pro centenario reddat officiali annuos scut. 160. & ipse super hoc officio accipiat in societate scut. 1000. ad rationem duodecim pro centenario, ita vt socio soluere debeat ex suo officio annuos scut. 120. & isto casu concludo societatem esse validā, vt tenuit Rot. diuers. decis. 300. domini dixerunt. num. 1. & 2. par. 1. & ita seruatur, Castrac. tract. de societ. offic. cap. 10. num.

16. num. 25. iunctis num. 13. & seqq.
Ratio, qua mouetur Rota, est, quia à communiter accidentibus solent 12. percipi pro centenario, & ad hoc, quod ex communiter accidentibus prouenit, inspici consuevit, & non ad officia, quæ ad colorandum contractum, & euitandam usurariam prauitatem interponuntur.

Optima est ratio; dum inquit, in taxatione fructuum attendi fructus, qui à communiter accidentibus percipi solent: sed dum dicit, officia interponi ad colorandum contractum, aduerte, quod Rota non sumit verbum, colorare, pro simulare, & fingere, sed sumit pro formare, ita ut officia interponantur ad formandum contractum, hæcque sit forma necessaria ad iustitiam societatis; vtitur tamen verbo, colorare, vt significet, officium non esse adeo necessarium ad taxationem fructuum; quin possint taxari vberiores ijs, qui percipiuntur ex officio.

Confermo hanc conclusionem, tūm quia hoc idem seruatur in contractu census, vt scripsi supra num. 242. tūm quia maius est periculum in socio, quam in officiali, & ratione illius maioris periculi maius debetur lucrum, vt scripsi supra num. 285. & 291.

Non obstat, quod retuli ex Card. Tolet. (si is fuit, qui illa verba scripsit) quia eius sententia procederet in simplici societate, in qua socius subiret omnino eandem fortunam cum officiali tam in lucro, quam in damno, secus in societate cum pacto, de quo supra in extensi. num. 280. & illud pactum presupponitur in omnibus societatis officij.

Secundus casus est; quando officium quidem est tanti valoris, sed non reddit tot fructus, quot officialis soluit socio, vt puta, quia officium valeat scut. 1000. & ad rationem octo pro centenario reddat annuos scut. 80. & ipse in societate officij accipiat similiter scut. 1000. & promittat soluere duodecim pro centenario, quæ in anno constituunt scut. 120. & isto casu societatem esse nullam scribit Virgin. de Boccat. tract. de societ. offic. num. 102. & 126. & multò magis Card. Tolet. qui hoc tenet in primo casu posito supra num. præced. in quo militat maior ratio pro validitate societatis.

Contrarium censeo verum, quia etsi hæc sit durior societas, & si attenderemus naturam census, non teneret quoad illos fructus, qui excedunt fructus officij, per ea,

quæ dixi supra num. 177. & 242. tamen militant adhuc ratio maioris periculi, vt dixi supra, & ratio, quod officium non est adeo necessarium, vt taxatio fructuum debeat omnino sumi ab eo, & posset sufficere sola ratio maioris periculi, per ea, quæ dixi sup. num. 291. & ita practicatur.

324 Tertius casus est, quando non solum in officio non sunt tot fructus, quot officialis promittit socio, sed neque officium ipsum est tanti valoris; vt puta, quia officium sit valoris scutorum 500. & officialis accipit ab uno in societate scut. 600. & isto casu societatem esse nullam, scribit Virgin. de Boccat. tract. de societ. offic. num. 126.

Ratio huius conclusionis est, quia etsi officialis sit in aperto dolo, dum accipit eodem tempore super suo officio pecunias ultra illius valorem, ideoq; ex proprio dolo commodum reportare non deberet; tamen quia etiam socius est in æquali dolo, seu latissima culpa, dum illi dat pecunias, quas scit, aut scire debet excedere valorem officij, doli cum dolo facta compensatione, dolus in neutrō consideratur, vt etiam dixi infra num. 336. vel dicemus, quod vterque voluit se ipsum decipere.

Sed quomodo hoc procedat, vide infra num. 326. & 327.

325 Amplia primo hunc casum, vt habeat locum etiā quando unus contrahit non unam solam societatem officij, excedentem valorem officij, vt in isto tertio casu, sed contrahit plures societates cum eodem officiali, quarum nulla excedit de per se valorem officij, sed una, vel duæ iam absorbent totum valorem officij, quia aliae, quas postea contraxit super eodem officio, sunt nullæ, & illicitæ, quia sciens & prudens eas contraxit, vt in his terminis loquitur Rot. diuers. decis. 287. habebat. initio, & vers. dubitauit. in Rom. societatis, lunæ 28. Ianuarij 1591. coram bon. mem. Card. Blanchetto. & decis. 336. honorius. initio coram Illustriss. Card. Millino. quas citavi supra num. 276. & 280. in extensi.

Ratio huius ampliationis est, quam adduxi num. præcedenti.

Amplia secundo, dum diximus, unam societatem, excedentem valorem officij esse nullam, vt sit nulla non solum in excessu, sed in totum, quia utile per inutile vitiatur, cum vitium non sit circa personam, sed circa rem, & officialis sit in solidum obligatus pro to-

ta summa fructuum, extrahendorum ex officio, qui extrahi non possunt, & sit in fraudem legis, siue contra legem, vel consuetudinem, Virgin. de Boecat. tract. de societat. off. sub num. 126. qui hanc eandem ampliationem ponit, sed dubitatiuè ad secundum casum, positum supra num. 323.

327 Contrariū mihi videtur iustius, & æquius ex his, quæ securus sum infra q. 7. par. 2. ampl. 20. num. 18. confirm. 3. vbi videas.

328 Retenta tamen ampliatione, si placeret. Restringe, declarando eam, vt procedat in vnica societate, quia videtur indiuisibilis, secus in pluribus societatibus separatis, quia in separatis vtile per inutile non vitatur, & ideo societates prius contractæ, quarum officium fuit capax, remanent validæ, licet aliae annulentur, Rot. diuers. d. decis. 336. quam citaui supra num. 250. ampl. 1. etiam si omnes sint contractæ cum eodem; quia militat eadem ratio separabilitatis.

329 Quartus casus est, quando non vñus socius, vt in præcedenti tertio casu, & eius prima ampliatione, sed plures socij separatim, & quilibet pro se contraxerunt plures societates, quarum prima sola, vel prima, & secunda etiam coniunctæ non excedunt valorem officij, sed secundæ & posteriores excedunt, sed nulla de per se excedit: Et isto casu licet videatur dicendum idem, quod diximus in 3. cas. præced. & eius 1. ampliat. propter defectum officij in posterioribus societatibus, sicque propter identitatem rationis; tamen aliter, connuentibus oculis, obseruat vñus, quia dummodo officium sit capax cuiuslibet societatis, prout est vnica societas, & sint initæ cum diuersis personis, omnes societates tolerantur: & hoc colligimus esse etiam de mente Rotæ diuers. decis. 287. habebat. vers. dubitaui. in Rom. societatis, lun. 28. Ianuarij 1591. coram bo. mem. Card. Blanchetto, dum annullat illas societates, quia is, qui pecunias dederat, sciens, & prudens societates iniuit, & decis. 336. honorius. num. 5. versus finem, in Romana societatum, lun. 29. Ianuarij 1601. coram Illustriss. Card. Millino. dum respondendo, excusat societatem, quæ allegabatur in contrarium, eo quia aderat probabilis ignorantia dantis pecunias ad societatem, & aperte decis. 310. fuit resolutum. num. 5. vers. non obstat. in Rom. societ. offic. 12. Febr. 1601. corā R. P. D. Ortembergho, in impressis Lugduni 1613. dum declarando nullas societa-

tes, vltra valorem officij contractas à procuratore super officio domini, & respondendo stylo contrario, scribit, quod contrarius stylus Curie Romanæ, admittens societates longè vltra valorem officiorum, toleratur propter ignorantiam contrahentium.

330 Ratio huius tolerantiarum potest esse, quia hi omnes, qui contrahunt, præsumuntur bona fide contraxisse, cum sint ignari aliarum societatum, easq; diuinare non teneantur, & inuenire non possint: cum nec ipse met officialis eas scire teneatur, quia cum hodie societates officij non amplius contrahantur ad commodum, & incommodum officialis, sed ad commodum, & incommodum aliorum, ipse, habens in eis nudum nomen, est ignarus, an illæ societates, quas contrahit, sint consensu, vel per obitum solutæ, cum earum fructus, & lucrum ad alios specent, & ideo vanum esset interrogare officialem de alijs societatibus, cum hodie ipse stet ad colorandum, vt dixit Rot. quam citaui infra q. 7. par. 1. num. 89. in fine, & interrogaretur non amplius de facto proprio, sed de facto alieno, & consequenter lex videatur indiscreta, si has societates rigorosè annullaret, quia videretur obligasse ad impossibile; & dissiparetur hoc commercium, quia multi probi viri in eo remanerent decepti: quæ ratio cessat in eo, qui plures societates contrahit cum eodem officiali vltra valorem officij, quia in eo nulla potest cadere ignorantia.

331 Nec aduersus hanc rationem obstat, quod ignorantia cum bona fide socium, qui post alienationem officij exigit fructus, non excusat à restitutione fructuum: quia respondeo, quod illa ignorantia non est excusabilis, sed est culposa, vt declarauit infra num. 333. vbi videas.

Declaro, extendendo eundem quartum casum, ac illius rationem, vt dicta in eis, supposita verè hinc inde ignorantia, procedant non solum in foro fori, (ne alias in eotu tota die essent super hoc lites, quarum cunctarum causa idem forum fori tolerat aliqua, quæ in foro conscientiae non sunt toleranda, per ea, quæ dixi infra q. 7. par. 2. ampl. 10. num. 41. & seqq.) sed procedant etiam in foro poli, quia lex humana, seu consuetudo hoc casu videtur ex necessitate contractum hunc reducere ad sponsionem, cum eum sustineat sine capacitatem officij; & quod acquiritur per contractum sponsionis, immo etiam

etiam in ludo, retinetur etiam in foro conscientiæ, vt securus sum supra sub num. 88. & 116. & certè data præfata ignorantia non aliter dicendum est in contractu societatis officij, quia alias infinitus ferè conscientiarum numerus inuolueretur.

Secus si non supponamus hinc inde ignorantiam; seu saltem in socio, quia tunc ex qualitate fori, & qualitate ignorantiae, seu scientiæ, pro absoluta explicatione formo tres casus.

Primus casus est, quando uterque; nempe officialis, & socius sciebant incapacitatem officij: & isto casu distinguo inter forum, & forum.

Aut enim loquimur in foro fori: & concludo, societatem esse nullam, & consequenter à socio singulos fructus, quos accepisset, esse restituendos, seu computandos in sortem, vti illicitè captos; remanente tamen semper debito capitalis, quia ille contractus societatis habetur pro non facto, & pecuniae datæ resoluuntur in creditum ob causam non securam, seu, vt dicere solet Rot. in simplex mutuum per ea, quæ latè scripsi infra q. 7. par. 2. ampl. 8. num. 60. & clarius ampl. 20. num. 6. & seqq. & ita dixi etiam infra num. 336.

Contra hanc conclusionem oppono, quia, cum isto casu uterque sit in dolo, & sic in turpi causa, & in pari causa turpitudinis melior sit conditio possidentis, vt securus sum infra q. 7. par. 2. ampl. 19. sub num. 98. & num. 102. versus finem, socius, qui est in possessione fructuum, quos exegit, non debet cogi ad illorum restitutionem.

Respondeo, quod adhuc tenetur restituere; nam: aut socius erat paratus inire eiusmodi societates; & tunc in materia usurrum turpitudo versatur solum ex parte recipientis usurrum: is enim solus peccat, & committit usuram, non autem is, qui soluit, per ea, quæ scripsi infra sub num. 407. vers. vna circa hoc. & sic cessat omnino oppositio: aut non erat paratus, sed ad ita contrahendum fuit inductus, & persuasus ab officiali: & tunc ob prædictam rationem paris turpitudinis videtur urgere oppositio, cum uterque sit in peccato usuræ, vt scripsi infra sub d. num. 407. vers. secundus. sed tamen adhuc est dicendum, quod teneatur restituere tam in foro poli, quam in foro fori, quia nego, esse viriusque parem causam turpitudinis: maior enim est turpitudo ex parte

recipientis usuram; quia etsi uterque sit in pari causa quoad peccatum usuræ; tamen, si usura est, stat semper alia conclusio, quod ex parte recipientis sit rapina, vt securus sum infra q. 7. par. 2. ampl. 19. sub num. 64. & prout rapina reducitur ad actum, implicat contradictionem, vt dicamus, eam committi de consensu soluentis usurras, cum rapina sit, quæ committitur, in uito domino, & sic non est par ratio.

Aut loquimur in foro poli; & similiter distinguo inter intentionem & intentionem: Vel enim uterque intendebat contrahere sponsonem, sed ad evitandas lites, quas super contractu sponsonis poterant timere in foro fori, per ea, quæ dixi supra num. 305. siue ad alium bonum finem, sponsonem vestierunt societatis contractu; & tunc dico in foro poli contractum esse validum, & non esse faciendam restitutionem fructuum; cum de iure cōmuni eiusmodi contractum sponsonis esse licitum dixerim sup. sub d. n. 305. & partes supponamus intentionaliter contraxisse, inspecto iure communi: expedit tamen, vt deinde inter se publicum de hac intentione documentū habeant, ne ijs, vel eorum altero vita functo, & controversia inter hæredes, vel cum hærede mortui orta, alter eorum contra defuncti conscientiā ageret, vt dixi infra in 3. casu, in fine. Vel uterque intendebat inire verè societatem officij, & sic in contemptum Pontificiæ constitutionis, eaq; spreta, voluerunt eam inire sine officio: & tunc in primis concludo, quod, contemnendo Pontificis constitutionem, peccant: non tamen auderem affirmare, quod teneatur restituere, saltem ante latam à iudice sententiam; quia sic etiam dicimus de eo, qui ludit alea, quia etsi is, ludendo, contemnat legem, tamen non tenetur acquisitum ex ludo restituere ante latam à iudice sententiam per ea, quæ scripsi supra num. 116.

Secundus casus est; quando socius, qui ponit pecunias in societate officij, ignorat incapacitatem officij, sed officialis bene scit incapacitatem: & isto casu concludo eadem, quæ conclusi in præcedenti, quia cum usura non consideretur in officiali, seu debitore, qui soluit fructus, sed consideretur in socio, qui ex pecunijs, quas dedit in societatem, recipit fructus, vt scripsi infra sub num. 407. vers. vna circa hoc. & ignorantia saluet contractum societatis, mutando quasi illum in contractum sponsonis, vt dixi supra vers. declarata.

clara. satis est, quod ignorantia sit in ipso socio; quia medicina datur infirmis, non autem sanis, Matth. 9. num. 12. & Marc. 2. num. 17. non est opus valentibus medicus, sed male habentibus.

Amplia hanc conclusionem, ut procedat etiam si socius postea nouerit incapacitatem officij; quia, etiam scientia superueniente, non tenetur restituere fructus, cum, data hac ignorantia, iste contractus assumat naturam sponsionis, ut dixi supra vers. declara. quam naturam non perdit per superuenientiam scientiae.

Non obstat, quod si unus ex contrahentibus laedat alterum ignoranter in pretio, sit tutus in foro conscientiae, durante illa ignorantia, sed postea, superueniente scientia lesionis, teneatur ad restitutionem secundum communem & tutiorem opinionem, quam secutus sum infra q. 7. par. 2. ampl. 10. sub num. 52. vers. contra.

Quia resp. quod in casu nostro societas transit in sponsionem, ut dixi, in qua cum non requiratur officium, nil relevat, quod socius postea sciat, societatem fuisse initam sine capacitatem officij: & iste transitus est fundatus in iustitia commutativa, & aequalitate, quia sicut officialis isto casu potuisset, moriente socio, lucrari pecunias positas in societate, etiam quod in socio superuenisset scientia incapacitatis officij ante ipsius socij mortem, ita etiam conuenit, ut socius possit tutta conscientia retinere lucrum, quod, mediante periculo perdidi capitale, acquisiuit.

Tertius casus est è conuerso, quando ignorantia incapacitatis officij est solum in officiali, quæ ignorantia videtur impossibilis, nisi pro officiali sumamus eum, pro quo inseruiunt pecuniae, cum alioqui officialis ipse semper, & nulla adhibita industria, seu opera, sciat quanti valeat, & quot fructus parere soleat suum officium, & an plures societates super eo contraxerit: & isto casu, in quo ignorantiam supponimus solum ex parte soluentis fructus, & scientiam supponimus in socio, qui fructus recipit, similiter considero forum fori, & forum poli: Si enim loquimur in foro fori, concludo sine difficultate, quod socius tenetur restituere fructus, seu compensare in sorte, per ea, quæ dixi supra num. 324. & apertius num. 325. Si vero loquimur in foro poli, tunc videtur dicendum idem, quia etiam si iste socius intentionaliter voluisse inire sponsionem, tamen

extrema non coniungebantur, iuxta ea, quæ scripsi infra q. 7. par. 2. ampl. 10. sub nu. 33. vers. prima. & dato, quod sine extremorum coniunctione hic contractus staret tanquam sponsio, adhuc iste socius non videtur tutus in conscientia, nisi prius per scripturam publicam apud officialem, seu debitorem declarasset hanc suam intentionem, ne alioqui, ipso socio mortuo, suus heres, ignorata defuncti conscientia, allegaret, hanc societatem fuisse nulliter contractam, ex quo fuit contracta sine officio, vel cum officio incapaci, & sic debitor, seu officialis excludetur à lucro pecuniarum datarum in societatem, quamvis heres teneretur restituere fructus perceptos, qui possent esse legè minores: & hoc de secunda extens. posita sup. nu. 280.

332 Extende tertio idem quintum requisitum, positum supra num. 276. ut in tantum procedat, quod si officium desit eò, quia sit alienatum, & ideo per eius alienationem sit soluta societas, socius (quamvis ignarus alienationis, & consequenter solutionis societatis) non possit amplius exigere fructus, & exigendo, quamvis bona fide exigeret, teneretur illos restituere, vel computare in sortem, quia ignorantia venditionis officij non operatur, quod societas duret, Rot. divers. decis. 291. domini. num. 2. in fine, & num. 3. in Romana societatis. ven. 23. Junij 1600. coram Illustriss. Card. Millino, inter impressas Lugduni 1612.

Nec obstat, quod eiusmodi societatum lex, seu consuetudo videatur iniusta, aut saltem inæqualis, cum, dato duplice ignorantiae casu, eam in uno excusat, & in alio condemnet: Primus casus, in quo ignorantiam excusat, est, quando socius contraxit societatem super officio, super quo iam tunc tot aliæ erant contractæ societates, ut nihil superesset communicandum cum ipso socio; quo casu ipsum socium, ignorantem alias societates, & ideo fructus bona fide exigentem, excusat, ne teneatur illos restituere, nec computare in sortem, per ea, quæ dixi supra num. 329. & 330. Secundus casus, in quo ignorantiam non excusat, est, quando socius post alienationem officij exigit fructus societatis, quo casu socium, officij alienationem ignorantem, ideoque bona fide fructus exigentem, non excusat, & ideo ad illorum restitutionem condemnat, ut in casu huius extensionis: & tamen ignorantia hoc secundo casu excusabilius videtur, quam in

in primo; satis enim (loquendo de primo casu) notum est, quod hodie aliqui pauci officiales, quorum officium non excedit valorem scutorum octocentum, seu duorum millium, contrahunt indistincte super eorum officijs tantum societatum numerum, ut earum summa longè in maxima quantitate excedat officiorum valorem; unde videtur ignorantia affectata: notum etiam est (loquendo de secundo casu) quod multi socij, præsertim absentes ab Urbe, officij alienationem ignorantes, fructus bona fide exigunt.

333 Quia respondeo, diuersam esse rationem inter ignorantiam primi casus, & ignorantiam secundi, ex duabus causis: Prima causa est, quia ignorantia in primo casu est iusta, & omnino excusabilis, vt ostendi supra num. 330. at in secundo casu est iniusta, & culpabilis, quia socius potest facile scire, an ille officialis exerceat illud officium, & sic an duret societas, vt dixit etiam Rot. d. decis. 291. domini. in fine; quare debet saltem semel in mense de hoc interrogare notarios in banchis; alias ignorantia erit culpabilis, & forsan affectata; & ideo non debet ei prodesse: Secunda causa est, quia, si ignorantia non excusaret in primo casu, societatis officij commercium, quod degentibus in Urbe extimatur valde expediens, facile dissiparetur, cum, non tolerata hac ignorantia, ex mille societatibus, quæ contrahuntur, non contraherentur duæ, hacque ratione, ne istud commercium dissipetur, contra officialem procedi non solet: non sic est in secundo casu, quia licet ignorantia non toleretur; huius tamen commercij frequentia nō deficit, quod experientia docet.

334 Subextende primo hanc extensionem, vt procedat etiam si socio fructus sint sponte soluti, & à sciente, illos esse indebitos, quia adhuc repeti possunt, seu computari debent in sortem, cum usuræ possint repeti, etiam si fuerint scienter, & sponte solutæ, Rot. divers. dicta decis. 291. num. 5. & 6. vers. non obstat.

335 Subextende secundo, vt quemadmodum socius, id est, creditor, in casibus prædictis teneretur restituere fructus exactos, ita à fortiori repelleretur in prædictis casibus, si ageret ad eos exigendos, quia quem de euictione teneret actio, eundem agentem repellit exceptio.

336 Confirmatur hæc subextensio, quia in

fortioribus terminis licet officialis sciuerit, super eius officio initas iam esse cum eodem socio alias societates, quæ officij valorem adæquent, vel forsan superent, & proinde aliam societatem, quam contrahit, scit esse nullam, & consequenter, contrahendo, est in dolo, vt in casu, de quo supra num. 325. nihilominus, quia etiam socius est in æquali dolo, cum vterque sciat nullitatem societas, dolus cum dolo compensatur, ideoque officialis, dolo hoc non obstante, potest recusare soluere fructus, quia non extat societas, Castrac. tract. de societ. offic. cap. 6. num. 11. in fine, ibi, verum quia. iunctis num. 7. & seqq.

337 Infero ex eodem quinto requisito, eiusq; extensionibus positis supra num. 279. 280. & seqq. quod nullitas societatis non magis respicit fauorem accipientis, quam dantibus pecunias in societate, quia si is, qui accepit, liberatur à solutione fructuum, is, qui dedit, liberatur à periculo eas amittendi, quia, societate cessante, cessat omnis effectus societatis, Tiraq. de caus. cessan. num. 241. in verbo, societate cessante.

Verum, re ad usum deducta, non æque vtriusque fauorem respicit, quia raro is, qui dedit, perderet, & è contra qui accipit, vt plurimum solueret fructus: sicque hæc annullatio potest reputari damosa dantibus pecunias.

338 Subinfero, quod, cessante, seu resoluta, vel annullata societate, pecuniae datæ resoluuntur in creditum causæ non secutæ, sicq; competit condictria causa data, causa non non secuta, tot. tit. ff. de condictr. cau. dat. & non resoluuntur forsan in simplex mutuum absolute, per ea, quæ latè scripsi infra q. 7 par. 2. ampl. 8. num. 207. & seqq.

339 Declara primo nunc restringendo idem quintum requisitum, positum supra num. 276. dum dixi, societatem inæqualem fructibus officij esse nullam, saltem in ea parte, in qua est inæqualis, vt possit procedere in societate officij vacabilis per mortem officialis, cum amissione capitalis, adhibita consideratione illorum quatuor casuum, quos posui supra num. 322. & seqq. & 329.

Secus est in societate officij non vacabili, & contracta cum periculo vite socij, dantibus pecunias; quia huic socio debentur non solum fructus, qui percipiuntur ex officio ad ratam; sed debetur pretium periculi vitæ, quod potest valere quinque, vel sex, vel septem

ptem pro centenario; & cessat in hac societate compensatio illa periculi cum periculo, quam retuli supra num. 282. quare iniusta esset societas, in qua officialis perciperet ex officio sine periculo quinque, & socius ipsius officialis quinque cum periculo.

Hæc declaratio in secunda parte, idest hæc societas super officio non vacabili cum certo lucro propter periculum, quamvis iuridica videatur, Romæ tamen, vbi sponsionis contractus vñl receptus non videtur, nunquam posset obtineri per ea, quæ dixi etiam supra sub num. 124. declar. 2. in fine.

340 † Si tamen admitteretur, & daremus in hoc contractu separabilitatem inter fructus officij, & lucrum propter periculum, societas quoad lucrum, procedens à periculo, semper valeret.

341 Declara secundo, vt societas non dicatur contracta sine officio, quamvis is, qui pecunias accipit, non habeat officium, & propterea recognoscat bonam fidem officialis, qui accepit eius precibus super suo officio, & declaret, officiale habere in ea solum nomen nudum, vt latius explicaui infra q. 7. par. 1. num. 88. & 89.

342 Declara tertio, vt quamvis societas contracta sine officio, sit nulla, tamen si officijs, seu accipiens pecunias, dolosè induxit eum, qui eas dedit, fructus licet capientur in foro interiori, & ratione lucri cessantis etiam in foro exteriori, prout declarauit infra q. 7. par. 2. ampl. 8. num. 120. illat. 4. vbi videas.

343 Declara quarto, extendendo idem requisitum, vt societas, contracta cum officio capace, sit valida, etiam si officialis promiserit socio dare fideiussorem, & non dederit, quia nihilominus, socio volente, tenetur officialis soluere ei fructus, tūm quia negligētia, & culpa officialis debitoris non debet nocere socio creditori, & morosus ex propria mora, & inobseruantia commodum in alterius præiudicium consequi; tūm quia illa promissio dandi fideiussorem respicit fauorem socij creditoris: ergo non debet reatorqueri in eius odium, vt, illa promissione non adimpta, fructus consequi non possit, hæcque declaratio est clara, naturalis, & servatur passim in praxi, quia contractus societatis in se est perfectus, accedente voluntate socij.

344 Extende primo hanc declarationem, vt procedat, etiam si in promissione dandi fi-

deiussorem sit apposita certa dies, puta, per totum præsentem mensem, & cum pacto, seu clausula resolutua eiusdem contractus, ita vt, fideiussore non dato, sit locus restitutioni fortis principalis, perinde ac si finita esset societas; quia adhuc, socio volente, societas remanet valida, & officialis tenetur ei soluere fructus societatis, cum illud pactum resolutuum intelligatur appositum fauore contrahentis, qui adimpleat pro parte sua, per ea, quæ latissimè in materia indifferenti, & in certis casibus secutus sum in meo tract. de iudic. caus. &c. lib. 2. cap. 2. nu. 383. & seqq. iunctis etiam aliquibus præcedentibus, & in his terminis Castrac. tract. de societ. off. cap. 69. il 1. sub num. 10. & num. 33. & cap. 68. in fine, num. 33.

345 Subextende hanc extensionem, vt procedat, etiam si officialis promisisset dare non vnum, sed duos fideiussores, & dederit vnum tantum, ita vt fideiussori dato, & soluenti socius non possit actionem cedere pro rata, siccq; datio alterius fideiussoris videatur respicere etiam fauorem, & utilitatem alterius fideiussoris, quia adhuc societas tenet, volente socio, qui adimpleuit pro parte sua, & poterit totū exigere à fideiussore dato, quia promissio facta de dando duos fideiussores, fuit ad fauorem, & maiorem cautelam socij; & ideo, si ambo non accesserint, non debet in eius damnum redundare, & ita, revocata sententia, lata in prima instantia, fuisse in secunda benè iudicatum, refert, & sequitur Castrac. tract. de societ. cap. 66. num. 4. in fine, & seqq. alias si illa promissio dandi duos fideiussores respiceret æquè fauorem dati fideiussoris, hæc subextensio non procederet, per ea, quæ scripsi in meo tract. de iudic. caus. lib. 2. cap. 2. num. 396.

346 Extende secundo, vt quāuis socius agat, etiam non præstito fideiussore, ad fructus societatis, tamen non per hoc censetur liberare officiale debitorem ab obligatione dandi dictum fideiussorem; imò potest adhuc agere, vt det fideiussorem, Castrac. tract. de societ. cap. 69. il 2. num. 8. versus finem,

347 † quia, agendo pro fructibus, videtur tacite renunciare iuri dicendi, societatem non fuisse contractam, seu facultati annullandi societatem, vt dixi infra num. 377. quæ tacita renunciatio non debet extendi, vt censeatur renunciasse etiam actioni, quam habet ad cogendum debitorem, vt det fideiussorem, quia satis habet, in quo operetur, & renunciatio

ciatio est strictissimi iuris, ideoque si sit dubia, interpretatur in eam partem, quæ renuncianti minus noceat, per ea, quæ secutus sum in meo tract. de iudic. caus. lib. 2. cap. 5. num. 163. & hinc videmus, quòd socius, qui dat pecunias in societate officij, in ipso contractu recipit fructus anticipatos primi semestris, quamvis officialis nunquam eo tempore dederit fideiussorem, quem promisit dare.

348 Confirmatur hæc extensio, quia licet dominus directus emphyteosis, recipiendo canonem, seu pensionem, censeatur remisisse, & renunciaisse caducitati, ad tradita per Clar. in S. emphyteosis. q. 10. tamen non censetur renunciaisse emphyteosi, & iuri consequendi in posterum futuras pensiones, sicutque in reliquis non censetur renuciare iuri emphyteotico.

Non recedas ab hac extensione, quicquid in contrarium scripserint aliqui.

349 Extende tertio, ut procedat etiam si in promissione dandi fideiussorem nulla sit apposita dies, & officialis ad dandum fideiussorem non sit interpellatus, quia adhuc, socio volente, tenetur soluere ei fructus, & ratio est, quia ipse satis est certus de obligatione sua, & ex non adimplemento illius non debet consequi hoc commodum, ut propterea non teneatur ad fructus.

350 Extende quarto eandem declarationem positam supra num. 343. (dum dixi, quòd officialis debitor non debet ex propria mora commodum, & lucrum reportare in damnum socij, qui adimpleuit pro parte sua) ut in casu contrario declarationi, quando socius non agit ad consequendum fructus secundi semestris, & multò magis quando oblatos recusat, ex quò officialis nondum dedit fideiussorem promissum, officialis tunc lucrari non possit pecunias sociales, moriente persona, super cuius vitæ periculo societas contracta est, quia non debet quis ex contractu, quem non adimpleuit, commodum reportare; & ad effectum, ut ex contractu quis actionem, vel exceptionem consequatur; in primis docere debet, se pro parte sua adimpleuisse, & promissis stetisse, ut in similibus terminis tenuit Rot. diuers. decis. 331. ad tres. num. 1. vers. bandinis. in Romana pecuniaria, die lunæ 2. Decembris 1596. coram R. P. D. Penia inter impressas Lugduni anno 1612. & apertius in proprijs terminis eadem Rot. diuers. ne-

mine contradicente, decis. 329. fuit per dominos. per totam, in Romana duorum millium, die 19. Martij 1574. coram bo. me. Card. Seraphino. inter easdem Lugduni impressas, quam decisionem integrum refert, & sequitur Virgin. de Boccat. tract. de contract. & societ. off. num. 143. vers. societas. 351 † & quòd vbi contractus est vltro citroque obligatorius, nisi quis impleat pro parte sua, non possit effectualiter agere, quia quælibet promissio habet tacitam conditionem, si sibi fides seruetur, sequitur Rol. à Val. cons. 53. viso & diligenter. num. 27. vers. quibus, & num. 28. lib. 1. † quare emptor, cum ex empto agit, venditori pretium offerre debet; & ideo si partem pretij offerat, agere ex empto nō potest, & venditor rem, quam vendidit, quasi pignus retinere potest; hincq; est, quòd si emptor partem pretij soluisset, & res empta euicta sit tota, emptor, agens ex empto, non integrum pretium consequetur, sed illud solum, quod enumerauit l. 14. iulianus. S. offerri. ff. de act. empt. † vnde exceptio rei non traditæ repellit venditorem, agentem ad pretium, si rem non integrum, vel non liberam tradidit, quamvis emptor per publicum instrumentum soluere promiserit, & statutum mandet, quòd instrumenta publica habeant executionem paratam, & nulla possit aduersus ea opponi exceptio; & è conuerso exceptio pretij non soluti repellit emptorem, non obstante prædicto statuto, Dec. conf. 119. num. 1. Matth. Coler. tract. de process. execut. par. 4. cap. 1. num. 78. & 79. † nam exceptio (tu non impleuisti pro parte tua) semper potest opponi, licet statutum prohibeat, exceptiones opponi, Crauet. conf. 151. neminem. num. 10. & Rol. à Val. d. conf. 53. num. 32. & 33. quia hæc oppositio fit ex instrumento, & opponere ex instrumento, non est opponere contra instrumentum, Matth. Coler. d. num. 79. † & ideo licet statutum disponat, quòd contra publicum instrumentum non admittatur aliqua exceptio, tamen istud statutum non habet locum in exceptione, quæ descendit ex ventre illius instrumenti, Canar. & Galles. quos fecutus sum in meo tract. de iudic. caus. &c. lib. 1. cap. 63. sub num. 1. vers. sed nimis. † imò hæc exceptio (tu non impleuisti pro parte tua) adeo est fauorabilis, quòd iudex ex officio, parte non opponente, supplet, Crauet. in loco supra proximè citato, & licet Rol. à Vall. sub d. num.

d. num. 33. de hoc dubitet, tamen ego censeo, id esse verum, quia iudex etiam in causis ciuilibus potest supplere in facto sine partis instantia in notorijs, quæ occurunt, post intentatam actionem, ideoq; potest libellum ineptum ex se dentibus lacerare, & repellere agentem sine actione, vt latè scripsi in meo tract. de iudic. caus. &c. lib. 1. cap. 68. sub num. 2. in futura noua impressione, sed eiusmodi exceptio non implementi est notoria ex instrumento, vt sequitur Matth. Coler. d. cap. 1. sub num. 74. fall. 10. & adde quæ secutus sum infra §. 7. gl. 5. num. 26.

357 Confirmatur primo hæc extensio, quia socius, sè verius hæredes illius, repentes sortem, & capitale, petunt id, cuius contrarium etiam petiissent; imò hoc contrarium voluerunt: nam petunt, reddi capitale, cum non fuerit adimpta societas, quia voluerunt, etiam fructus sibi non deberi; & non deberi fructus, est, non extitisse societatem, vnde cessat illud absurdum, quòd quis admitti non debeat ad petendum id, cuius contrarium nolle, iuxta ea, quæ secutus sum §. seq. gl. 5. num. 149.

358 Confirmatur secundo, quia in contractibus attenditur mens, & causa finalis contrahentium, vt secutus sum in meo tract. de iudic. caus. lib. 2. cap. 9. num. 1369. nam non est maior qualitas in mundo, quā illa, quæ importatur per causam finalem, sine qua quis non aliter erat contracturus, Bal. in auth. præsente. num. 4. vers. quæro dicit statutum. in fine, C. de fideiuss. & mandat.

359 + ideoq; si locator promiserit sub certa poena non expellere conductorem per certum tempus, & conductor biennij continui pensionem non solueret, nihilominus sine metu poenæ poterit eum expellere, quia quamvis nihil expressum sit in poenali stipulatione de solutione pensionum, tamen verosimile est, ita conuenisse de non expellendo colono intra tempora præfinita, si pensionibus paruerit, & vt oporteret, coleret, l. 56. quæro. §. inter locatorum. ff. loc. & conduc. Sed mens contrahentium, & verosimile est, quòd dans pecunias illi, à quo voluit sibi præstari fideiussorem, noluerit se exponere dupli periculo, nempè, periculo perdendi capitale in casu mortis, & perdendi capitale, & fructus in casu inopie debitoris.

360 Contra hanc extensionem motiuat Castrac. tract. de societ. cap. 69. il 2. sub num. 3. vers. in contrarium. dicens, quòd contractus

societatis est contractus nominatus, qui propter inobseruantiam non reuocatur, sed agitur ad implementum, vel ad interesse, & pro isto motiuo facit, quod scripsi in meo tract. de iudic. caus. lib. 2. cap. 2. num. 391. & seqq.

Comprobatur hæc contraria opinio, quia aliás pactum resolutium esset superfluum contra non adimplemtem, si absque isto pacto posset resolui.

In hac contrarietate Castrac. d. cap. 69. il 2. sub num. 5. vers. sed pro resolutione. & num. seqq. adhæret in effectu huic opinioni contra extensionem, dum distinguendo, tenet, extensionem esse veram, si sit appositum pactum resolutium, secus si non sit appositum; sed tamen se multum inuoluit, cum sub num. 7. vers. si verò terminando, societatem esse contractam, se fundet in eo, quòd cum fructus perceperit, videtur voluisse societatem contrahere: nam parcat mihi, si societas dicitur contracta, manebit contracta siue percipientur fructus, siue non percipientur.

Ego non discedo ab extensione, tūm quia habet magnam æquitatem, & iustitiam, tūm quia adducta in contrarium benè tolluntur.

361 362 Ad motiuum enim, quòd societas propter inobseruantiam non reuocetur: & ad comprobationem, quòd pactum resolutum esset superfluum. Resp. distinguendo: Aut sumus in contractu, cuius implementum etiam tardum, & siue fiat in specie præcisa, siue in æquipollenti per satisfaciēnē eius, quod interest, potest iuuare, & conseruare indemnem alterum contrahentem, qui adimpleuit pro parte sua; & in eiusmodi contractu concluso, veram esse opinionem contra extensionem, & tunc procedere distinctionem, & comprobationem: Aut sumus in contractu, cuius implementum, si sit tardum, non potest iuuare, & conseruare indemnem alterum contrahentem, & ipse, qui adimplevit, nullam penitus ex adimento suscipit obligationem, nullumque prorsus recipit, aut recipere potest incommodum; & in isto contractu concluso, veram esse extensionem: sed eiusmodi est contractus societatis officij, quia si socius, qui dedit pecunias, nolit accipere fructus, & officialis non dat fideiussorem, nisi post mortem eius, super cuius vitæ periculo societas est contracta, & sic postquam lucratus esset pecunias sociales, frustratoria, & stulta esset

esset ista fideiussio, qua socius, qui dedisset pecunias, non iuuaretur, & officialis, qui eas lucratus esset, ad nihilum obligaretur: imputet ergo sibi officialis, qui sperabat lucrari pecunias, si fideiussorem ante casum mortis non dedit, quia ab ea die, qua fideiussorem dedisset, utriusque ex contrahentibus commodum, & incommodum societatis cucurrisset, nam sicut officialis non antea potest lucrari, ita etiam socius non antea potest exigere fructus, ex quo ante cessabat periculum; hocque ultimum distinctionis membrum bene probatur ex Rot. quam secutus sum infra num. 369.

363 Sed pro clariori omnium intelligentia distingue adhuc tres casus.

Primus casus est, quando socius, qui dedit pecunias, nullos fructus societatis recepit: & isto casu extensio est non solum vera, sed habet minorem difficultatem, quia cessat difficultas, quæ ex dictis per Castrac. posset motuari, quando recepti sunt fructus primi semestris, ut in casu sequentis subextensionis, num. 366.

364 Secundus casus est, quando recepit solum fructus primi semestris: & isto etiam casu vera est extensio, quia illa prima receptio potuit fieri citra approbationem societatis sine fideiussore, ut dixi in sequenti subextensione.

365 Tertius casus est, quando socius recepit fructus secundi, aut ulterioris semestris; & isto casu extensio non procedit, quia officialis poterit lucrari pecunias sociales, ut dixi infra num. 376. subdeclarat. i. & num. 377. explicat. i.

366 Subextende primo ergo eandem quartam extensionem, positam supra num. 350. ut procedat etiam si socius acceperit fructus primi semestris, quia adhuc officialis, si fideiussorem non dederit, non posset lucrari pecunias, & ita videtur de mente Rotæ diuers. decis. 332. certum est, in fine, coram bo. mem. Card. Seraphino, inter impressas Lugduni anno 1612. dum facit vim in exactione fructuum secundi semestris, & ita in terminis, citata Rota diuers. decis. 329. quā nos citauimus supra in extensione sub num. 350. firmat Virg. de Boccat. tract. de contract. & societ. offic. nu. 143. & tenuit Rot. in Rom. societ. off. lunæ 2. Iunij 1608. coram Illustrissimo Card. Lancellotto.

367 Ratio huius subextensionis est, quia socio, qui dat pecunias, competit ius dicendi

di, societatem non esse initam, quando officialis, qui accepit pecunias, non dat fideiussorem, quem promisit dare, sicq; quando est in mora adimplendi; & huic iuri potest socius tacite renunciare, recipienda fructus: sed in receptione fructuum primi semestris anticipate in ipso contractu societatis nondum est orta mora officialis, quia impossibile est, ut eodem momento detur promissio, & mora, ut dixi infra num. 386. & consequenter socio nondum est ortum ius dicendi, societatem non esse contractam: Ergo impossibile est, ut iuri, nondum nato, dicatur tacite renunciatum per illam fructuum anticipatam receptionem.

Quicquid contra hanc subextensionem videatur sentire Castrac. quem citaui supra sub num. 360. vers. in hac.

Hæc subextensio facilius procedit, si promissio dandi fideiussorem haberet clausulam resolutiuam, quia in casu, quo aderat pactum resolutuum, loquitur Rot. in citata decis. 332. vers. in casu proposito.

369 Subextende secundo, ut procedat etiam si officialis promisisset dare infra duos menses fideiussorem pro fructibus soluendis, & fructus primi semestris essent iam soluti, ita ut illa promissio videatur respicere duos menses secundi semestris, cum fructus soluendi respiciant secundum semestre, & fideiussio sit præstanta pro fructibus soluendis; quia nihilominus si officialis non dederit fideiussorem infra duos menses primi semestris, non lucratur pecunias sociales, dando illum infra duos menses secundi semestris, secura iam morte socij, Rot. in Rom. societ. off. lunæ 2. Iunij 1608. coram Illustrissimo Card. Lancellotto, citata etiam in præced. subextensione; & facit, quod nos in nostra distinctione aduersus Castrac. diximus supra sub num. 362.

370 Subextende tertio, ut procedat, etiam si socius, qui pecuniam dedit, statim moreretur, & recepisset fructus primi semestris, ut in præcedenti subextensione, & officialis intra tam breue tempus arbitrio recti iudicis non posset dici morosus in non dando fideiussorem, quia adhuc officialis, ex quo fideiussorem non dedisset, non lucraretur pecunias sociales: nam licet, qui promittit, seu tenetur statim aliquid facere, intelligatur cum aliquo temperamento temporis, l. 105. quod dicimus. & ibi Gl. in verbo, intelligendum. ff. de solut. & ideo non statim atque quis

quis interpellatur constituitur in mora, sed necesse est, quod labatur tantum temporis, infra quod commode id super quo interpellatur, explicari possit; quod tempus veniet arbitrio iudicis moderandum, M. Ant. Baueri tract. de mor. par. 3. num. 1. tom. 6. par. 2. fol. 410. nam intra quantum temporis spatiū fieri debeat id, quod incontinenti, & statim fieri debet, relinquitur arbitrio iudicis, ut cumulatè videbis, si Deo placuerit, in futura imprecisione nostri 2. lib. de iudic. caus. cap. 7. sub num. 674.

374 Tamen est aduertendum, quod officialis excluditur principaliter à lucro, quia non adimpleuit pro parte sua, & commodum percipere non debet ex contractu, quem non adimpleuit, mora autem venit considerata accessoriè, & non principaliter, quare siue dicatur in mora, siue non, lucrum consequi non debet, Rot. diuers. decis. 329. quam secutus sum supra num. 350. in 4. extensione; & latius dixi infra q. 7. par. 2. ampl.

373 8. num. 158. † & in omnem casum, quando secundum Doctores esset consideranda mora, dicunt, quod mora esset necessaria contra eum, qui ob non adimplementum incidet in poenam, quia in eo ultra non implementum requireretur mora, sine qua non incidet in poenam; secus contra eum, qui ob non adimplementum excluderetur à lucro, quia iste licet non sit in mora, tamen si non adimpleuit, adhuc ob non adimplementum excluderetur à lucro, Rot. d. decis. 329. quæ hoc deducit ex sententia Decij in l. cum proponas. la 2. num. 4. C. de pact. dum ait, quod fidem frangenti fides obseruari non debet, etiam si fidem fregerit ex necessitate, quia, inquit, necessitas & impedimentum excusat à poena, vel mora, sed non facit, quod impedito competit actione,

374 ex quod pro parte sua non impleuit, † quasi dixerit Decius, licet impeditus aliqua necessitate excusat à mora, siccq; non sit in mora, tamen ex quod non adimpleuit pro parte sua non haber actionem; quod idem apertius videtur dixisse Rip. in l. quod te. num. 48. in 7. declarat. ff. si cert. pet. dicens, quod difficultas, quæ excusat à mora, proficit ad evitandum damnum, sed non ad lucrum consequendum, quod etiam scripsit Steph. Forcat. tract. de mora, par. 3. num. 2. vers. sanè verò. tom. 6. par. 2. fol. 429. dicens, quod in præmijs, & lucris difficultate remissio non queritur, quia non sic fauemus lu-

375

376

377

378

cro in hiantibus, vt damna moræ vitatibus.

Sed quod Rot. Dec. & alij, hic citati, dicunt, non procedit, quando agens, casu fortuito impeditus, non adimpleuit in forma specifica, & vult adimplere in æquipollenti possibili, quia is adhuc consequitur lucrum, l. vlt. cum quidam. C. de condit. inser. &c.

Aduerte, quod in casu huius secundæ & tertiae subextensionis positarum supra num. 369. & 370. hæredes socij defuncti tenerent restituere illos fructus primi semestris, idest, tenerentur illos computare in sorte, si bi restituenda ab officiali.

Subdeclara primo eandem quartam declarationem, positam supra num. 343. (dum dixi, quod, volente socio, cuius fauore est praestans fideiussor, societas remanet contracta, etiam fideiussore non prestito) vt hæc voluntas possit declarari, non solùm verbis expressis, sed tacite per receptionem fructuum secundi, aut vltioris semestris, Rot. diuers. decis. 331. ad tres. in fine, vers. postremo non obstat. in Rom. pecuniaria, lune 2. Decemb. 1596. coram R. P. D. Penia inter impressas Lugduni anno 1612. & clariss. decis. 332. certum est. in fine, ibi, verum quia. inter easdem Lugduni impressas, & Castrac. tract. de societ. cap. 69. il 1. num. 11. & cap. 69. il 2. num. 7. in fine, & num. 8.

Explica primo illatiuè hanc subdeclarationem, vt eo ipso, quod socius recipit fructus secundi, aut vltioris semestris, ex tunc pro toto illo tempore, pro quo percepit fructus, perdat ius dicendi, societatem non esse initam ob non præstitum fideiussorem, per ea, quæ dixi supra num. 346. & 347. extens. 2. & consequenter ex tunc ipse subit periculum perdendi pecunias sociales, & officialis acquirit potentiam lucrandi in casu mortis; quia alias non posset recipere fructus sine usuraria prauitate, cum is, qui non subiacet periculo mortis, non possit lucrari fructus societatis officij ad rationem 12. pro centenario, Rot. diuers. d. decis. 332. & in alia Romana fructuum & interesse, mercurij 10. Decembris 1614. coram R. P. D. Pamphilio: Vnde ille fauor, quod possit vti, vel suspendere societatem, non potest in eo, quod elegit, operari effectus contrarios.

Secus si receperit solùm fructus primi semestris, vt dixi supra num. 366. in prima subextensione.

Explica secundo, vt societas, quam, non obstante

obstante non adimplemento, diximus intel-
ligi contractam propter receptam fructuum
solutionem, non extendatur ultra illud seme-
stre, seu tempus, pro quo recepta est solutio;
quare si contingat mors in alio semestri, seu
tempore, pro quo fructus soluti non sunt,
non erit locus pecuniarum lucro, Rot. d. de-
cis. 331. ad tres. in fine, sub num. 3. vers. po-
stremo non obstat. & ratio est euidens, quia
ille tacitus socij consensus, qui, recipiendo
fructus, velit societatem stare, non se exten-
dit latius, quam se extendat ipsa fructuum
receptio, per ea, quæ in alijs terminis secu-
tus sum in meo tract. de appell. q. 12. nu. 87.
ideoque qui vult posse lucrari societatem,
vel adimpleat ex parte sua, vel saltem fru-
ctus soluat.

379 Explica tertio, ut quamvis officialis, non
dando fideiussorem, non adimpleuerit pro
parte sua; tamen socius, qui dedit pecunias,
quo usque non declarauerit altero ex præ-
dictis modis, de quibus supra num. 376. in
subdeclaratione, se velle vti societate, non
poterit percipere fructus; & ideo non potest
prætendere fructus pro tempore præterito,
quando nondum suberat periculum, & sibi
imputet, si prius non declarauit, Rot. d. de-
cis. 332. vers. iure itaque. quia societas inte-
rim remanet in suspenso.

380 Subdeclara secundo in casu, quo officia-
lis dederit fideiussores, cum hoc pacto, (quod
eisdem fideiussoribus, seu aliquo eorum de-
ficiente, moriente, ex Vrbe recedente, aut
conditionem deteriorante, alium, seu alios
fideiussores idoneos intra dies 15. ad bene-
placitum socij, qui pecunias dedit, loco de-
ficientis, seu deficientium dabit, alias sit lo-
cus restitutioni pecuniarum socialium, vt
quamvis isto etiam casu possit socius exige-
re fructus, non aliter adimpleto pacto reno-
uandi fideiussionem per eadem, quæ scripsi
supra num. 343. in 4. declarat. & num. 344. &
349. in 1. & 3. extensione, remanente tamen
eidem salua facultate agendi ad implemen-
tum, per ea, quæ dixi supra num. 346. in 2.
extens. & recipiendo fructus, agnito non ad-
implemento, tacite renunciet iuri dicendi,
societatem non esse initam, & consequenter
se subijciat periculo perdendi pecunias so-
ciales in casu mortis, & officiali nascatur ius
in potentia lucrandi eas, per ea, quæ dixi su-
pra num. 377. & in terminis sentit Rot. di-
uers. decis. 331. ad tres. in fine, in Romana
pecuniaria, die lunæ 2. Decembris 1596.

coram R. P. D. Penia in impressis Lugduni
1612. & è conuerso non recipiendo eos, seu
non agendo ad illos, & officiale constituta
in mora, eviter periculum perdendi, & offi-
cialis amittat potentiam lucrandi, per ea,
quæ dixi supra num. 350. in quarta extens.
& eadem decis. 331. num. 1. & in fine, & de-
mum licet promissio renouandi, seu subro-
gandi fideiussores, deficientibus primis, con-
ueniat in omnibus cum promissione prestan-
di fideiussores.

381 Tamen differt in hoc, quod promittens
dare fideiussorem, tenetur illum dare etiam
absque alia interpellatione, per ea, quæ se-
cutus sum infra q. 7. par. 2. ampl. 8. num. 156.
sed promittens renouare, seu subrogare in
casu, quo datus deficiat, non cogitur, nisi sic
interpellatus ab homine, & consequenter,
euéniente interim ante interpellationem
casu mortis eius, super cuius vitæ periculo
contracta est societas, officialis lucraretur
pecunias, & pactum resolutiuum, in eo ap-
positum, non operatur, nisi postquam is, ad
cuius fauorem fuit appositum, declarasset,
velle vti illo pacto, per ea, quæ scripsi supra
num. 344. in prima extensione; & in termi-
nis nostris Castrac. tract. de societ. cap. 69.
il 1. sub num. 10. Vnde cum supponamus,
casum mortis euénisse, antequam socius, qui
dedit pecunias, interpellauerit officiale
pro renouatione fideiussoris, & sic ante of-
ficialis moram, & multò magis antequam
declarauerit, se velle vti resolutione contra-
ctus, dicimus, casum euénisse, durante
societate.

382 Ratio quare promittens, deficiente fide-
iussione præstata, dare aliam, debeat inter-
pellari, alias non teneatur, est, tūm quia
hæc promissio continet diem incertam, quæ
habetur pro conditione, l. 74. dies incertus.
ff. de condit. & demonstrat. & l. 38. stipulatio
ista. §. inter certam. ff. de verb. oblig. Alex.
cons. 55. viso titulo. num. 1. in fine, & nu. 2.
lib. 2. Corn. cons. 156. videtur dicendum:
num. 1. lib. 1. præsertim, quando est incerta
omnino, nempè, an, & quando, vt loquitur
Bar. in l. 155. ita stipulatus. num. 42. q. 2. ff.
de verb. oblig. prout omnino est incerta in
casu nostro, tūm quia illi ablatiui absolu-
ti, deficiente, moriente, &c. secundum gram-
maticos resoluuntur in /, vel postquam,
ideoque faciunt conditionem, Corn. vbi su-
pra. t Sed nec aduentus diei incertæ consti-
tuit promissorem in mora sine interpellatio-

ne, Bar. in d. I. 115. ita stipulatus. num. 44. nec euentus conditionis secundum communem opinionem, de qua testatur, & sequitur Dec. cons. 2. sub num. 5. ibi, nam quando obligatio; † imò aliquando non solum est necessaria interpellatio, sed est necessaria notificatio per instrumentum, vel saltem per testes, M. Ant. Bauer. tract. de mora, par. 1. num. 25. vers. secundo tempora. tom. 6. par. 2. fol. 407.

386 Ratiō rationis est, quia repugnat, vt quis eodem tempore, seu momento obligetur, & constituatur in mora, seu contrahatur obligatio, & mora, Bar. in d.l. ita stipulatus. sub num. 41. vers. si queratur. num. 44. & sub num. 51. ff. de verb. oblig. Dec. in loco supra proxime citato, Castrac. tract. de societ. cap. 69. il 1. sub num. 22. 25. & 26. & Rot. diuers. quam cītaui infra q. 7. par. 2. ampl. 8. nu. 104. vers. ratio. † & ideo licet iuramentum, prestitum separatim post contractum debitum, habeat vim interpellandi, & constituendi in mora, tamen secus est, si debitum non præcesserit iuramentum, quia isto casu iuramentum non habet vim interpellationis, & ideo debitorem in mora non constituit, cum sit inconueniens, vt eodem tempore quis obligetur, & constituatur in mora, Bar. in l. 30. eum qui. §. si iurauero. versus finem, ff. de iureiur. quem notabiliter sequitur M. Ant. Bauer. tract. de mora, par. 2. sub num. 21. & 22. fall. 12. tom. 6. par. 2. fol. 409. hæc; ratiō fundatur in l. 105. quod dicimus. ff. de solut. quam clarius adduxi sup. num. 371.

388 Sed si veritatem amamus, hæc ratio, quamuis sit communis, & videatur vnde que iuridica, non est bona, quia in contractu vltro citroque obligatorio, in quo unus adimpleuerit pro parte sua, alter, qui non adimplet, statim sine alia interpellatione, loquendo more nostrorum Doctorum, dicitur constitutus in mora, sicque officialis, qui recipit pecunias, & promittit dare fideiussorem, eodem momento obligatur, & constituitur in mora, ergo hæc ratio non est bona.

389 Ratio ergo differentiæ erit, quia promittens simpliciter dare fideiussorem, est certus de sua obligatione, ideoque, nullo alio requisito, tenetur illam adimplere, at is, qui est obligatus conditionaliter, & potest ignorare euentum conditionis, non obligatur illam adimplere, quin prius is, cuius fauore adimplenda est, obligetur conditionis euentum notificare, Rip. in l. quod te. sub nu. 64.

390 & 65. in 6. conclus. ff. si cert. pet. † & ideo ubi quis tenetur non ex obligatione propria, sed ex obligatione alterius, cui successerit, debet ob iustum ignorantiam non solum interpellari, sed debet fieri eidem fides obligationis, vt scribunt Alex. cons. 135. viso processu inter paſquatum. versus finem, sub num. 4. vers. nec obstat. lib. 7. & Ias. in l. si ex legati causa. in fine, vers. vltimo bar. ff. de verb. oblig. quare sibi imputet, si non notificet.

391 Et hæc satis de quinto requisito, posito supra num. 276.

Sexto requiritur, quod societas contrahatur pecunia præsenti, & numerata, & non pecunia debita; quare si officialis esset debitor Petri in scutis 100. ex alia causa, & Petrus ex iustis societatem contraheret, societas esset inualida, vt securus sum supra nu. 217. & sub num. 221. conclus. 2. & num. 229. & seqq.

Quamvis contra hoc requisitum tenuerit Hier. Gabr. quem cītaui supra num. 218. sed tu vide distinctionem in d. num. 221. conclusione 2.

392 Extende hoc requisitum, vt socius non possit loco pecuniae tradere merces, quia requiritur pecunia vera, & actualis, vt securus sum supra num. 229. & 230.

393 Septimo requiritur, quod persona, super cuius vitæ periculo societas contrahitur, sit certa, & nominatim expressa; alias socius non subiret periculum, quod est pars substantialis societatis officij, vt scripsi supra num. 280. & seqq. num. 291. 293. 301. 377. & alijs in locis.

Pro integra huius requisiti explicatione considero quatuor casus.

Primus casus est, quando in contractu societatis officij non nominatur persona, super cuius vitæ periculo societas contrahitur, sed facultas eam nominandi reseruatur ei, qui dat pecunias, sub pacto, vt, si socius, dans pecunias, obijerit ante alterius nominationem, officialis lucretur pecunias: & hoc casu concludo, societatem esse validam, ideoq; officiale posse pecunias lucrari, Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 9. tit. de societ. cap. 11. q. 1. quod pactū solet hac clausula concipi, (quod moriente persona nominanda, & interim ipso N. qui pecunias dedit, morte naturali, &c. officialis lucretur fortē) nam pecuniae ante nominationem stant sub periculo vitæ ipsius dantis, & post

post nominationem sub periculo vitæ nominati, & sic semper adest periculum, & consequenter quoad periculum societas semper tenet, Castrac. tract. de societ. cap. 8. sub num. 13. vers. vnde. & num. 14.

394 Secundus casus est; quando tām facultas nominandi certam personam, quām ipsa nominatio suæ personæ non est simplex, sed videtur restricta ad certum terminum; puta, quindecim dierum, inclusa sub hoc pacto; quòd pecuniae stent risico vitæ, & personæ, ab ipso, qui dat pecunias, nominandæ infra 15. dies, & interim risico ipsius, qui pecunias dedit: Et hoc casu videtur dicendum, quòd socieias, non facta nominatione infra dictos quindecim dies; & illis elapsis, resoluatur, ita vt si is, qui pecunias dedit, moriatur post dictos 15. dies, officialis non lucratur pecunias, quia non fuit adimpta conditio societatis, Castrac. tract. de societ. cap. 8. sub n. 24. vers. aliquando. & n. 25. & seqq.

Contrarium, nempè, quòd societas remaneat valida, & non sit resoluta, tenuit Rot. coram R.P. D. meo Caualerio, lunæ 9. Aprilis 1612. in Rom. societ. officij dicens, quòd si socius reseruet sibi facultatem nominandi personam infra 15. dies, & interim, &c. idest, & interim velit esse nominatam propriam ipsius socij personam, & postea, alia persona infra illos 15. dies non nominata, continuaret societatem, censetur expressim nominata propria persona, ideoque, eius morte contingente ante disdiçtam societatem, officialis lucraretur sortem principalem.

395 Tertius casus est, quando in hoc secundo casu adderetur clausula, (alias, &c.) pacto ita concepto: (super periculo vitæ, &c. infra quindecim dies proximos nominandæ, alias & interim, &c. ipsius N.) & in hoc casu nulla remanet difficultas, quòd societas tenet, & ideo hic est stylus hodiernus, quo passim conficiuntur instrumenta societatis cum facultate nominandi.

396 Quartus casus est, quando notarij culpa eiusmodi pacta, seu clausulæ essent prætermissa: & isto casu concludo, quòd societas adhuc teneret, ac si prædictum pactum fuisset appositum, quia socij contrahere videntur, prout moris est, & quæ moris sunt, quamuis expressa non sint, habentur pro expressis, Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 9. tit. de societ. cap. 11. q. 1. in fine: Et posset notarius hoc pactum prætermissum etiam ex

397 interuallo adiçere, vt contra Castrac. d. cap. 8. tenet Azor. eod. cap. 11. in fine, q. 2.

Mors, quæ condemnato propter sua scelerata infligitur per manus iustitiæ, dicitur naturalis, & non violenta; quare, stante pacto solito, quòd moriente socio morte naturali, & non violenta, illata ab homine ferro, veneno, aqua, igne, vel alias quomodolibet violenter, officialis lucretur pecunias; socio mortuo, vt supra per manus iustitiæ, officialis lucratur pecunias, Rot. diuers. decis. 358. quidam. sub num. 1. & seqq. coram Reuerendiss. D. Sacrato, ven. 16. aprilis, 1612. in Romana societ. inter impressas Romæ anno 1615.

Instrumentum societatis officij, sub qua conficiatur formula habes apud moderniora instrumentorum formularia, & breuem formulam ponunt Virgin. de Boccat. tract. de societ. officij, initio, num. 2. & Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 9. tit. de societ. &c. cap. 8. q. 1. vers. in nomine.

**DE MVTVO, VSVRA, EMPTIONE,
& venditione rescissibili, & vt dicitur
à godere à godere.**

S V M M A R I V M.

Mutuata pecunia diceretur pecuniam parere, si ultra sortem restituatur, num. 398. Et quibus casibus possit in mutuo licet ultra sortem recipi, num. 409. 415. 422. 439. 440. 452. 493. 531. & seqq.

Etymologia usura, num. 399.

Definitio usura, remissiæ, num. 400.

Vsura est omni iure damnata, num. 401. & seqq.

& nu. 407. & 408. Imo est contra naturam, Contra præceptum naturale, ideoque indispen-sabilis, num. 404. Et afferere, ipsam non esse peccatum mortale, est heresis, num. 405.

Mutuare est de consilio, non sperare autem ultra sortem est de præcepto, sub num. 405. & 407. Reiecta opinione, quòd lex euangelica, mutuum date, &c. tota sit de consilio, num. 402. iunctio num. 403.

Mutuarem non posse aliquid ultra sortem acci-pere, naturales ostendunt rationes, num. 403.

Mutuans, si ei restituatur quando pluris va-leat, recipit plus, sed non ultra sortem, num. 409. & seqq. & 415. Declaratur, vt non procedat, quando mutuum transiuit in emptionem, quia tunc mutuator non potest recipe-re plus quam pretium quo valebat res mutua-